MBurghers sculp.

104 L 3.

PIETAS
Universitatis Oxonienſis
In *OBITUM* Sereniſſimæ
REGINÆ ANNÆ
ET
GRATULATIO
In Auguſtiſſimi
REGIS GEORGII
INAUGURATIONEM.

M.Burghers del.et sculp.

OXONII,
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO,
An. Dom. MDCCXIV.

AD REGEM.

DES importunis veniam, Rex Magne, Querelis,
Si pius abrumpat Gaudia feſta Dolor:
Muſa, ſinas, Carmen paret officioſa Sepulchro;
Extruit Auguſtum dum *Tua* cura Rogum.
Annæ *Pieridum* ſunt debita Munera; ſemper
Fovit *Pierias* Anna benigna domos.
Jungite, Vos, ſocios, Myſtarum Turba, dolores,
Urgeat & Luctus pectora veſtra loquax:
O! ſacro Eloquio pollentes, dicite, Quantas
In Vos, innocuè Prodiga, fudit opes:
Quo coluit zelo creſcentes Numen ad aras;
Quâ Gnatum curâ, quâ pietate Virum!
Mitis ut Imperio, ſervatis Civibus, Anna!
Sanguine dum *Gallus* fœdera rupta luit.

Quod

Quod tamen HANC parili reddas Virtute, GEORGI;
Illa ANNÆ, Illa *Tua* eſt gloria; noſtra ſalus.
Si *Ludovico* iterum Spes ambitioſa reſurgat;
Sentiet Ille hoſtem TE, *Ludovice*, novum:
Sin foveas Pacem, belli ſecurus, & Artes;
Aurea Mercator ſæcula tutus aget.
At Nos *Bella* Tua & *Paces* mittemus in ævum;
Multus & *hinc* Vati, multus & *inde* Labor.
Hæc TIBI *Quæ* vovet *Alma Parens*, Sobolique Perenni,
Sæpe Atavis placuit Carmine grata *Tuis*.
Nate Erneſto audi Rhedycinam; ſi nec amârit
TE magis *Ille* Lyram, nec magis *Ille* Togam:
Audi; ſiqua manent veſtigia Temporis, in quo
Viſiſti *Iſiacas* Regius Hoſpes aquas.
Seu de *Boihæma* vis dici, aut ſtirpe *Britanna*,
Jure Tuas decorent Sceptra Paterna manus:
Auſpice TE priſcæ nova ſurgat gloria Mitræ;
Nempe *Patris* cinxit ſacra Tiara Caput.
Plaudat docta Cohors: TE, REGUM MAXIME, Noſtri
Immemorem *Erneſtus* non ſinet eſſe *Tuus*.

BERNARDUS GARDINER

Vice-Cancellarius.

CUM Suus exanimem Populus ploraret *Eliſam*,
Poſceret & Fletus rapta *Maria* pares;
Utraque, pro factis æquam ſortita Camœnam,
Attigit æthereas non ſine Vate Domos.
At quæ nunc audax volitare per ardua Famam,
ANNA, Tuam poterit Muſa per aſtra ſequi?
Ecquis erit, qui Bella ſibi deſcribere ſumet,
Quæ jam Fœmineâ vidimus acta Manu?
Ecquis, qui junctas æterno Fœdere Gentes,
Otiaque æterno carmine digna, canet?
O! quæ Centenis Linguis ornare ſolebas
Exequias Regum, Regibus orta Domus;
Inſpires mœſtam ſublimi Carmine Pubem,
Sume Lyram *Flacci*, *Virgilii*que Tubam.
Sic Tibi *Cecropiæ* ſurgant ad Sydera turres,
Et recidiva ornet mœnia priſcus Honos.
*Tu*que adeò Fautrix rerum, *Regina*, mearum,
Excipe, quos triſtis fert Elegeia modos.
Dum *Tibi* Vita fuit, quæ non *Ego* munera cepi?
Quàm dolet hæc Cineri Dona referre Tuo!
O Decus, O læti divinæ frontis Honores!
Quæ Mihi non oculis eximet ulla dies.
Sed Pietas, ſed priſca Fides, animoque recurſat
Perpetuus veræ Relligionis Amor.
Ut memini, quoties inopum *Tibi* Vota ferebam,
Quàm blandâ Noſtras ceperis aure Preces!
Aurea de pleno manavit Copia cornu,
Donaque cùm peterem plurima, plura tuli.
Sæva adeò Fortuna, & lætis invida rebus,
Muneribus didicit mitior eſſe Tuis.
O ſi, quæ Limen ſubiit Regale, tuliſſet
Non adeò celerem Mors inopina gradum;
Sit Mihi fas Promiſſa loqui, tum Dona Camœnæ
Non parva acciperent, O *Rhedycina*, Tuæ.
Quas Tu arces, veneranda Parens, Quæ mœnia, Natis
Aſpiceres olim commemoranda Tuis!
Ut *Peckwaterii*, veterem indignata Ruinam,
Surgeret auſpiciis Area læta novis!
Heu! Spectator adhuc Opera imperfecta tuetur,
Et Mala dum luget Publica, Noſtra dolet.

Quis *Britonum* lapſis poterit ſuccurrere rebus?
Imperium terræ ponere, Jura mari?
Quis raptam patriis referet Virtutibus ANNAM?
Afflictis parilem Quis feret æquus opem?
Tu, Cui, proſpiciens tantos Regina dolores,
Tradidit Imperio Sceptra gerenda pari;
Adſis O! noſtriſque favens allabere terris,
Et jubeas populo lætiùs ire dies.
Te poſcunt Proceres, & Patrum Sanctior Ordo,
Te Tutelarem turba *Britanna* Ducem.
Et ſi quando graves Curas, Srepituſque relinquens,
Pieriis Animum vis recreare jugis;
Tum meliùs cernes, quæcunque reliquerit ANNA
Hîc etiam, Manibus perficienda Tuis.
Tum, quanto *Domus hæc* ANNAM veneretur Honore,
Oſtendet meliùs, quem *Tibi* ſolvet, Honor.

Georgius Epiſcopus Briſtolienſis,
Eccleſiæ Chriſti Decanus,
Sereniſſimo Regi ab Eleemoſynis.

TRophæa Regum ceſſat Ebur loquax
Tentare cantu: Geſta *Britannica*
Tacent Poetæ; nil morantes
Pacis Opus, vel acuta Belli.
Hæc luſit olim Muſa, volentibus
Aptare chordis ritè ſciens Epos:
Jam triſte murmur, jam furentes
Flebilior numerus Camœnas
Lugubrè torquet. Quò *Britonum* retrò
Ceſsêre Honores? Quò Jocus, & leves
Fugêre Riſus? Quò receſſit
ANNA, Decus Columenque Sceptri?
Te, Diva, triſti voce requirimus,
Plectrum moventes; Non parili ſono,
Quo tetricum *Plutona* mulcens
Eurydicen revocavit *Orpheus*.
Te *Styx* novenis fuſa paludibus
Circùm coercet. Sin *Tibi* Pocula
Lethæa nondum admota labris,
Immemorem faciant relictæ

Gentis

Gentis *Britannæ*: Flecte oculos ſuper
Dilecta quondam Mœnia; Suſpice,
  Ut curſitantes per plateas
    Ingeminent populi querelas!
Videbis udas hinc Procerum genas,
Hinc ora Patrum obducta doloribus,
  Flenteſque Nymphas, quas nec ultrà
    Tangit amor, neque cura formæ.
At O! Deorum quiſquis amicior
Anglis, *Apollo* ſive *Dieſpiter*,
  Mortalium quem cura tangit:
    Unde Novo fremit Apparatu
Britanna pubes? Cur vaga carbaſa
Committit Euris Navita? Cur pice
  Ungit carinas? Et bipenni
    Tranſtra novat, reparatque Remos?
Captamus Omen. Litore *Belgico*
Devectus Hoſpes marmoreum ſecat
  Fluctum triremi; Vendicatque
    Angliacum, Sua jura, Sceptrum.
Salve, *Stuartûm* Progenies, Avis
Exorte magnis! O! bone Civium
  Dux, lætus adſis! Nec malignus
    Diſtineat Tua vela Ventus.
Te fida Tellus, impatiens moræ,
Ardet tueri: *Te* Proceres vocant,
  Sanctique Patres, *Te* Senatus,
    Atque avidum, Tua turba, Vulgus.
Ducente *Te*, per tela, per æquora,
Sequemur Omnes: Ibimus impigri
  In prælium; Nî Pace malis
    Compoſito dare Jura Regno.

Honoratiſſ. Dom. Dom. *Theophilus Haſtings*

Comes de *Huntingdon*,

ex Ædc Chriſti.

DUM luctuosis Materiam Lyris
Præbent ademptæ Funera Principis,
Et triſtis omnibus Camœnis,
Omnibus heu! gemit *Iſis* undis;
Te, Sancta Mater Relligio, dolor
Æternus angit, nec Tibi tempore
Labente decedunt Amores,
Nec miſeros levat Hora Luctus.
Hinc pura Virtus, nudaque Veritas,
Hinc Spes, & albo caſta Fides Soror
Velata panno, vix labanti
Præſtat opem Pia Turba matri.
Illa uſque Curis icta fidelibus,
Cœlum fatigat ſollicitâ prece,
Poſcitque necquicquam Sacrarum
Dulce Decus Columenque rerum.
Repoſcit ANNAM, Quæ venerabiles
Inſtauret Ædes, Quæque iterum pias
Defendat Aras, & *Sabæo*
Dona ferat potiora Thure.
Jam quippe cernit, quæ Sibi præparet
Romana Pellex, cernit ut impii
Belloque gaudentes cruentas
Pontifices acuant Sagittas.
Gratum elocuto conſiliantibus
Papa Miniſtris: Occidit, Occidit,
Quæ noſtra conturbavit uſque
Conſilia, egregioſque Victrix
Agens Triumphos, Nos celerem in fugam
Vertit, relictâ non benè parmulâ;
At nunc reluctari, & beatæ
Damna licet reparare *Romæ*.
Impunè Princeps in Patrias domos
Vindex redibit, quem Exilio ſtudent
Damnare fruſtrà ſempiterno
Ferre jugum indociles *Britanni*.
Impunè Divos & Sacra per mare
Portabit Heros, quos colet ultima
Pars Orbis, & rurſus ſubacto
Roma dabit Sua Jura Mundo.

Quò *Papa* tendit? Sic ubi *Pelei*
Divina Proles occidit, aſperos
Feruntur obliti laborum
Dardanidæ poſuiſſe Luctus.
Donec perempti Rex *Ithacus* Viri
Haſtamque & Enſem fulmineum rotans,
Prodivit Ultor, ſplendidæque
Vertit Opes Animumque *Trojæ.*
Regale Sceptrum non alitèr manu
Sumens, & ANNA non Minor imperans,
Antiqua defendes *Britannis*
Jura Tuis, animoſe GEORGI.
Papæ inſolentem Lætitiam obrues
Præſens, & aſſueto impete dirues,
Quæ vanus è Noſtris putabat
Conſtitui Sibi regna Damnis.

Honoratiſſ. Dom. Dom. *Edv*: *Hen*:
Comes de *Warwic*: & *Holland*: ex Æde Chriſti.

DIcite, *Pierides*; Nam Vobis pandere Divûm
Arcana, & Fati fas aperire vices:
Dicite, quo *Britones* læſerunt crimine Cœlum,
Quid tantum irato diſplicuêre *Jovi.*
Soſpes ut ANNA foret, laſſavimus æthera votis:
Nec caruêre aris thura, nec ara focis.
Fruſtrà heu! mille Preces Superûm referuntur ad aures,
Fruſtrà mille focis thureus exit odor.
ANNA heu! magnanimûm Soboles Auguſta *Stuartûm,*
Soſpite Quâ, ſoles læti & amœna dies;
ANNA cadit: Quàm digna, at nondum debita, Cœlo!
*Elyſia*ſque petit non reditura domos.
Pollicitos meliora Deos (neque defuit Omen)
Credidimus; fauſtas ſueti iterare vices;
Cum *Te* Diis Oriunda, Deûm ad Delubra quotannis
Vidimus, & lætas ire redire vias:
Vidimus, ut Frontem redimivit Martia Laurus;
Vidimus, ut cinxit Pacis Oliva Comas.
Non Oleum, non Laurus opem *Tibi*, Diva, miniſtrant:
Quæ *Te* fronde tegat, ſola Cupreſſus adeſt.
Tu tamen ad Superûm Menſas Conviva recumbis;
Quà Vir, quà Soboles, quà *Tibi* plaudit Avus.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Hîc numeroſum Agmen, priſci Stirps Regia *Fergi*,
Ardet in Amplexus adproperare Tuos.
Hos inter Magna Umbra venit, nuperrima Cœli
Hoſpes, at in primo conſpicienda choro:
"Ergò, ait, æthereos intras Mihi proxima cœtus?
"Sume, æterna parant quem *Tibi* Fata locum.
Nè pigeat liquiſſe Tuos, Regina, *Britannos*:
"Hæc Qui Sceptra manu torqueat, Alter adeſt.
"*Ille*, Meus Sanguis, Populo dat Jura volenti:
"*Ille* Vices Noſtras expleat, *Ille* Tuas.
"Natum, *Ego* Quem peperi, *Tu* demum in Sceptra reponis;
"Nec Genitrice minùs diceris, ANNA, Parens.

Honoratiſſ. Dom. Dom. *Thomas* Baro de *Lempſter*.
ex Æde Chriſti.

INtra tecta domûs triſti fulgentia pompâ
Ad *Thamiſis* flumen flebilis ANNA jacet.
Hîc quoties pulchros cinxit Diademate Crines,
Et ſumpſit niveâ Regia Sceptra manu?
Cùm peteret Sanctum, populo plaudente, Senatum,
Et nutu Leges diceret eſſe Ratas.
Quanto Reginam ſtudio audivêre loquentem
Ordo gravis Procerum, Conciliumque Patrum!
Illam nunc alio Proceres comitantur Honore,
Et venit ad triſtem Curia mœſta Rogum.
Syrmata per templum lentè pullata trahentes
Fida Miniſtrarum turba ſequuntur Heram.
Reginæ quanto gemitu demittitur Urna,
Et Princeps veteres ponitur inter Avos!
Quà Conjux unà tumulatur *Georgius*, & quà
Cum Patre *Glovernus*, cum Genitrice jacet.
Nunc obſignetur tandem Regale Sepulchrum,
Et ſubeat lætos Altera Pompa Lares.
Tu, GEORGI, inſignem ducens in Templa Triumphum,
Sume vetus Sceptrum, Purpureumque Decus.
Irriget ambroſios Oleum de more Capillos,
Cingat & Auguſtum ſacra Corona Caput.
Illic *Te* Proceres feſto clamore ſalutent,
Et Regem agnoſcat Sanctior Ordo Patrum.
REX *Britonum* ſalve, Templo felicitèr exi,
*Te*que illi reddat non niſi Sera Dies.

Carolus Compton
Honoratiſſ. Comitis de *Northampton* Fil. Nat. Ter.
ex Æde Chriſti.

Ad Regem.

CEssit ubi fatis Herois *Eliſa*, reciſam
Et Stirpem indoluit *Tudereana* Domus:
Quis vacuo poſſet Solio ſuccedere, Patres
Hæsêre ambigui, plena timore cohors.
Extemplò ad nova Sceptra volans, Sua Jura *Jacobus*
Aſſeruit, *Scotici* Gloria prima Laris.
Ille *Caledonias* liquit felicibus Oras
Auſpiciis, addens *Anglica* Regna Suis.
Tum Luctûs oblita *Britannia* geſtiit, ultrà
Nec Cœlum averſum queſta, leveſve Deos.
Te non abſimilis, GEORGI, Fortuna *Britanno*
Deſtinat Imperio: Nec minùs æquus ades.
Penſavit Magnæ fatum Succeſſor *Eliſæ*:
Tu Nobis ANNÆ non ſecùs inſtar eris.
Te *Scotica* agnoſcit, *Te* vendicat *Anglica* Pubes,
Et tradit faſces Utraque Terra ſuos.
Angliacis Oriundus Avis, cape Sceptra: *Britanno*
Stemmate prognatos uſque *Britannus* amat.
Nè pigeat liquiſſe Domum, Patrioſque Penates:
Non temnenda vocant Sceptra, humileſve Lares.
*Hannovium Britonem*que tenebis legibus æquis:
Nec metuet triſtes Ille, vel Ille vices.
Magnanimus *Rheni* potor *Thameſina* Fluenta
Guſtabit, Patrias poſthabiturus Aquas.
Te vocat alter Ager, Natali dulcior Arvo:
Lenior hîc æſtas, mitiùs alget hyems.
Hæc *Tibi* fidum inter Populum Deus Otia fecit:
Tu Nobis reddes, quæ dedit Ille *Tibi*.

Laurentius Shirley,

Honoratiſſ. Dom. Comitis *Ferrers* Fil.

ex Æde Chriſti.

O Lecta Navis, Pondere Regio
Beata, mittas trans mare GEORGIUM,
Serveſque ab undarum tumultu
Imperii Columen *Britanni*!
Quâcunque Sylvâ ducis Originem
Felix Propago! Seu dederit genus
Procera Pinus, ſive Quercus
Regibus *Angliacis* fidelis.
Videſne, ſortem quis tibi credidit?
En! quantus Heros! Sume Superbiam,
Quæ Principem portas *Britannûm*, &
Diſce Tuæ Pretium Carinæ.
Non, quam Poetæ verſibus efferunt,
Te vincet *Argo*, magnanimam licèt
Vectârit Heroum catervam,
Et rutilo grave Vellus Auro.
Veni, *Britannis* tarda nimis, veni
Dilecta Navis, ſcinde citâ trabe
Campos aquarum, proſperique
Accelerent tua vela Venti.
Tranquilla dentur fluctibus Otia,
Sternatur Æquor, temperet *Æolus*
Ventos minaces, & quietas
Fida vehas Dominum per undas.
Sic cùm laborem finieris vias
Emenſa ponti, Te *Britonum* rates,
Te fulgidam errantes videbunt
Sydereos Decus inter Ignes.

Johannes Berkeley,

Dom. Dom. Baronis *Berkeley* de *Stretton* Fil. Nat. Max.

ex Æde Chriſti.

CUR, Magne Princeps, cur nimiùm diù
Moraris arcti trans maris æquora?
Quæ Cura, quæ *Te* Sors iniqua
Distinet à populo fideli?
Quin destitutæ finibus *Angliæ*
Maturus adfis; *Te* Dominum vehens
Ad regna, *Neptunus* tumentes
Sternat aquas, facilemque cursum
Concedat. O! turrita *Britannicæ*
Qui Civitatis mœnia præfluis,
Latique terrorem profundi,
Belligeras vehis amne Classes,
Fidas ad æquor Flumine devehens
Leni carinas, obvius Hospitem
Agnosce Regem, suppliceſque
Pande, Pater *Thamesine*, portus.
Sic unda *Mosæ*, sic Tibi *Sequana*,
*Tagus*que dives, velivoli maris
Jus omne cedat, sic onustas
Quæque Tibi ferat aura puppes.
En! carbasis in litore *Belgico*
Albescit æquor; Classis ad *Angliam*
Allabitur vento secundo, &
Innocuas jaculata flammas
Succedit amni. Quæ mediis procul,
Ut alta turris, fluctibus innatans
Procedit, & cursum volucrem
Per liquidas Ratis urget undas?
Ripæ propinquant Lintea; Regiam
Nosco Carinam: Cernis in arduâ
Puppi Leonem, Apluſtre cernis
De tereti fluitare Malo?
REX Magne salve; Sceptra Tuæ cape
Commissa Dextræ; fortitèr & diù
Defende Regnum, & Res *Britannas*:
Hoc Populus rogat, hoc Senatus.

Car. Ingram

Honoratiſſ. Dom. Dom. Vicecom. *Irwin* Frater,

è Coll. Oriel.

PAce dum Gentes placidâ quieſcunt,
Plorat extinctum Libitina Bellum,
Et graves haſtas acuit beato
Invida ſæc'lo.
Arbitram Terræ, Dominamque Ponti
Devovet morti Furiale Numen,
Et pium Pectus, ſcelus heu! cruentâ
Cuſpide figit.
Quem Deum Genti *Britonum* faventem
Jam vocet multâ Populus ruentis
Imperî rebus prece? Quis levabit
Vulnus acerbum?
Mater Heroum, Caput Inſularum
Albion, magni impatiens doloris
Sceptra commendat *Tibi*, *Cæſar*, O Spes
Una *Britannûm*!
Urbis Auguſtæ ſpatia ampla fervent
Publicis Ludis, Procerum triumphans
Ordo procedit, nitidique Cives
Compita ſtipant.
Civitas omnes opulenta gazas
Exhibet, ſplendent numeroſa Pubes
Regio Luxu, feriuntque læto
Sydera Plauſu.
Dumque Sublimis veheris per Urbem,
Forſan occurrent oculis Beatæ
Principis Vultus, & Imago fidis
Chara *Britannis*.
Ore *Tu* Marmor placido videbis,
Nec Tuis ANNÆ Pietas carebit
Laudibus, nec *Te* meminiſſe Divæ
Facta pigebit.
O! Sacrum ſervet ſimulachra Nomen,
Albion ſemper veneretur ANNAM, &
Nulla Pars Famæ pereat, tenente
Cæſare terras.
Sic Tuæ Frontis Decus eniteſcens
Ære fingetur, *Pario*ve Saxo,
Sic colet Nomen, Statuaſque GEORGI
Sera Vetuſtas.

Hen. Dawnay
Honoratiſſ. Dom. Dom. Vicecom. *Downe* Fil. Nat. Ter.
ex Æde Chriſti.

IMpelle chordas flebilibus modis
Sonare triſtem Principis exitum,
O Muſa, cui Pater Supremus
Celſa dedit decorare cantu.
At quæ rependet, quod grave cepimus
Damnum, dolorum Pompa? Quod indicet
Carmen dolores? *Te* peremptâ,
ANNA, nihil miſerante Parcâ.
Hæc ſola præſtat Gens *Tibi* Munia
Invita; quòd ſi fata recludere
Votis, & Almæ poſſet ævum,
Muneribus Precibuſve nitens,
Parare longum; non citiùs nigram
Mortem teneres, ſedula lucidas
Inire ſedes, quàm *Britannûm*
Omne genus periiſſet audax.
Quùm lenis acri Diſſidio foret
Diviſa multis Gens, tamen aſperas
Ponebat iras *Te* colendo;
Hoc Studio coit omnis Uno;
Te cuncta cepit gaudia Soſpite:
Ecquæ timebat dira pericula?
Secura vel Togâ vel Armis,
Dives opes referebat Orbis.
At cernis? An me ludit amabilis
Imago Divæ? Jam ſuper arduas
Advecta nubes, dulcè ridens
Radit iter liquidum per auras,
Matura cœlis, Umbra volentibus
Miſcenda Sanctis; Define inanium
Tandem querelarum, & Trophæa
Tu potiùs cane, Muſa, Divæ.
En! *Ille* Qui per marmora claſſibus
Vectus ſuperbis, Quem Pater Æquoris
Neptunus, & *Tethys* marina
Ut Dominum metuunt Profundi;
Agnoſco Regem: *Te* vocitantibus
Adſis *Britannis* incolumis Tuis,
ANNÆque ſceptro Par, potenti
Imperio rege ſummus Orbem.

Hen. Culpeper Fairfax
Honoratiſſ. Dom. Dom. *Thomæ Fairfax* Baronis de *Cameron* Frater,

 è Coll. Oriel.

ALbion Mater, Dominam peremptam
Mœsta quæ luges, niveoque Busti
Assidens Saxo lacrymis calentem
Proluis Urnam;
Mitte paulisper Gemitus fideles,
Pone funebrem Capitis Cupressum,
Abstine Fletu, solitoque Regem
Excipe Plausu.
Hanc *Tibi* Lucem velit Ipsa Festam
ANNA, de Cœlo *Britonum* Triumphos
Æqua dum spectat Dea, nec GEORGIUM
Invidet ANGLIS.
Cæsar hanc Lucem *Sibi* poscit Unam;
Cras licet Pullos Habitus resumas;
Ipse cras Tecum sociis dolebit
Fletibus ANNAM.

Hugo Hare
Honoratiss. Dom. Dom. Baronis de *Colerane* Frater Unicus,
ex Aul. Cervin.

FElix benignâ Pace *Britannia*
Cunctos inermes undique Principes
Vidit, nec Hostem ultrà relictum
Credidit, aut hominem, Deumve.
At heu! rebellis restitit *Atropos*,
Hostis decenni *Marte* ferocior;
Quæ *Te*, ANNA, Mortalem probavit,
Non poterant *Lodoïcis* Arma.
Matres verendæ, turbaque conjugum,
Non filiis orbæ, aut viduæ viris,
Frustrà Deos pro *Te* rogârunt,
Quam dederas aliis, Salutem.
Frustrà Juventus, Militiâ redux,
Tulêre Vota ultra solitum pia;
Frustrà Preces fudêre Sancti,
Præcipuè Tua cura, Patres.
Percussit Ictu lethifero Caput,
Misitque Morbum præcipitem Deus,
Nè quid Precantes, neu valerent
Aucta Tuâ pietate Templa.

Europa Noſtro congemuit Malo;
Quam Pacis olim viderat Arbitram,
Flevit cadentem, Publicamque
Paſſa ſimul doluit Ruinam.
At Vos *Britannos* ambiguus Dolor,
Fletuſque movit quàm variabilis!
Quàm luctuoſos una vidit
Atra dies, eademque lætos!
Regina vix dum Lumina clauſerat,
Repentè feſto Urbs undique Gaudio
Mutata ridet; rursùs ANNAM
Vivere, vel Similem, putares.
Luctus priores ambitioſior
Repreſſit Ardor; Clamor ovantium
Vicit Querelas, & fideli
Plus Gemitu valuêre Plauſus.
Quid ſi *Stuartûm* procubuit Domus,
Certæ nec ultrà Relliquiæ manent?
At *Cæſares* per mille ſæc'la
Hannoviæ renovabit Aula.
Hinc magna Proles orta, *Britannici*
Quæ Jura reſtant Imperii piè
Tractabit; & fortaſſis Ipſam,
Si licitum, ſuperabit ANNAM.
Sic occidunt longo ordine Sydera,
Poſtrema terras deſtituit *Venus*:
Mox ſurgit ardens, & minora
Aſtra fugat, Nebulaſque *Phœbus*.

Wriotheſly Digby
Honoratiſſ. Dom. Dom. Baronis de *Geaſhil* Fil. Nat. Min.
è Coll. Magd.

DUdum modeſtos illacrymabilis
Egit triumphos Orcus, & *Atropos*
Bacchata denſis luctuoſam
Funeribus viduavit Urbem.
Prædas minores tranſvolat improba,
Et pulſat Arces jam pede Regias
Audaciori, jamque grandes
Inſtituit *Libitina* pompas,

Alaſque noſtro Tartareas Malo
Superba plaudit. Principis Optimæ
Perculſa fato Gens *Britanna*
Inſolitos ciet Ejulatus.
Parente raptâ *Pieridum* Chorus
Langueſcit æger, nec parat ampliûs
Aut Pacis aut Belli Triumphos
Aoniis ſociare Chordis.
Nunc oh! pererrat Vox inamabilis
Terras; in omnes quæque frequentibus
Suſpiriis diffundit oras
Muſa graves *Britonum* Querelas.
Europa tanto ſaucia Vulnere
ANNAM requirens flebilitèr gemit;
Omniſque ſolennes ademptæ
Gens parat Exequias Parenti.
Vani Dolores! Quos ſemel excipit,
Semper beatos *Elyſium* tenet;
Ingens nec *Edvardum*, nec Ipſam
Reſtituit Pietas *Elizam*:
Stygis coërcent flumina *Carolum*;
Non *Ipſa* charo vincula *Georgio*
Lethæa, nec dulci *Gloverno*
ANNA Parens gemebunda rupit.

Jacobus Lumley Baronettus,
ex Ædе Chriſti.

Ad Regem.

O! Qui *Britannas*, non ſine Plauſibus,
Accedis oras, Quem neque *Flandria*,
Nec gratiori *Belga* fidus
Hoſpitio tenuit morantem:
Expanſa latè Brachia porrigit,
Sinumque felix explicat *Albion*,
Te Terra, *Cæſar*, *Te* potentem
Oceanus Dominum ſalutat.
Scimus beatam Quantus ad Inſulam
Accedat Hoſpes, ſcimus ut aſperos
Luctus repellat, & caducos
Angligenûm reparet Triumphos.

En

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

En quò canoras, & faciles ſequi
Ducit Camœnas! En citharas movent
  Blandæ Sorores, laureumque
    Nectit amans *Rhedycina* Sertum!
Sed nec fideli dulcis Amor Deæ
Diſcedit *Anglo*, non minùs Inclytam
  Deplorat Umbram, nec beatos
    Deſtituit ſua Fama Manes.
En! *Illa*, Divûm Sydereis choris
Adſcripta, ſedes attigit igneas,
  Quà, puriori luce fulgens,
    Inter Avos, Atavoſque regnat.

Henricus Hoo Keate Baronettus,

è Coll. Vigorn.

O Muſa, Pubes quam Tibi dedita
Sentit faventem, ſeu miſerabiles
  Sors dura Cantus, ſive lætam
    Feſta dies Citharam requirit;
Te funus ANNÆ flebilibus decet
Lugere Chordis, Te Cineres pio
  Rigare fletu, Te Sepulchro
    Solvere non vacuos Honores.
Auguſta Princeps, quêis referam Modis
Circumfluentis *Te* Maris Arbitram;
  Aut Marte ſternentem ſecundo
    Borbonii tumidas Cohortes,
Quà decolori *Danubius* lavit
Blenhemiam undâ, ſanguineâ madet
  Quà cæde *Celtarum*, oſſibuſque
    Albet Ager celebris *Ramillæ*?
Jubente tandem *Te* filet horridus
Mavors, revinctus compede ferreâ;
  Pacemque gentes in perennem
    Compoſitis coëunt duellis.
At non Tuorum ſollicitæ Preces
Fatum morantur, non Pietas Tua,
  Regina, non intexta Laurus
    Pacificæ foliis Olivæ.

Quis nunc dolentes eripiet gravi
Mœrore Cives? Quis reget Æquoris
Campos liquentes, & *Britanno*
Jura dabit Moderator Orbi?
En! *Cæſar* altis navibus *Angliæ*
Inviſit oras; en! venerabilem
Agnoſco Regem, Qui ſuorum
Adveniens *Britonum* timores,
Ægraſque tradet Sollicitudines
Portare ventis, à pelago diem
Lucemque reſtaurans, velut Sol
Cœruleis oriens ab undis.

Gulielmus Stapleton Baronettus,
ex Æde Chriſti.

IN plena nondum ſurgere gaudia
Fas eſt. Ad ANNAM lumina *Pieris*
Adhuc retorquens, inter ipſos
Uſque madet pia Nympha Plauſus:
Quam fortè Vates tempore poſtero
Legens, Virorum Prælia reſpuat;
Et Jura *Celtarum* ſuperba
Damnet, ovans, *Salicaſque* Leges:
Quam queſta, paulùm ceſſit ab impiis
Gens tota rixis, juncta doloribus:
Mox, *Te* recepto, ingens GEORGI,
Juncta Tuis paritèr Triumphis.
Idem rogantes impia Nomina,
Liteſque, ſcindunt, & lacerant domos:
O, redde, *Tu*, natum parenti,
Redde brevi viduæ maritum.
Gentem, futuris fortitèr anxiam,
Ferax beâſti mille Nepotibus,
Ætate Qui ſerâ futuris
Facta dabunt memoranda Muſis.
Alter furentem cornipedem premat,
Adornet Alter verba Senatui;
Aſt Alteram lætis choreis
Blanda reget *Carolina* Mater.

Te

Te fors & olim, poſtquam adoleveris,
Fridrice, amicum *Caſtalidum* Choro,
Hæc jactet *Ædes*, uſque Vatum,
Uſque Ducum, generoſa Nutrix.
Tibi columnas docta manus ſtruit,
Transferre ſolers *Italiam Angliæ*;
Quâ fraude luſus, *Phœbus Iſin*
Sæpè petens, *Tiberim* vocavit.
Hîc Pectus almis Artibus excolas,
Diſcaſque chartis prælia fingere,
Quà fortis *Henrici* cubile;
Strenua quà Soboles *Philippæ*
Futura *Gallis* vincula nexuit;
Clio Poetam quà peperit Suum,
Et movit ingens *Addiſonus*,
Quæ moriens *Maro* Plectra liquit;
Quem, deſtinantem Carmina, detinent
Non parva GEORGI Orbiſque Negotia:
At geſta Qui quondam canebat,
Ipſe gerit paritèr canenda.

Wilfridus Lawſon Baronettus,
è Coll. Reg.

MAgna canant alii, Belli Paciſve Triumphos,
Martiaque exſculpant Muliebri facta Sepulchro,
Me Pietas ANNÆ, me pluſquam Heroica Virtus,
Intemeratus amor Templi, & Reverentia Divûm,
Cum ſteterim ante aras, quæque Ipſe ſacerrima vidi,
Et quorum Pars ſæpè fui, dum mente recurrunt,
Abripiunt totum. Hæc, *Tu* jam inter amœna vireta,
*Elyſia*ſque umbras, non *Ipſa* audire recuſes.
Carmen inane damus: totum at ſpirantia Cœlum
Dona dediſſe juvat. Cape Dona extrema Tuorum.
Uſque Pium Nomen memorans, Eccleſia Mater
Quando Aliam inveniet ſimilem, *Quæ* voce laceſſens
Aſſiduâ Superos, Tela extorquere ſolebat
Vibranda, & miſſas aliò divertere Peſtes.
Hæc junctos acie *Bavaros Senonum*que phalangas
Concuſſit Precibus. Tunc ſcripta *Bleneimia* fatis,
Cùm blandos oculos, palmaſque potentèr inermes
Tollens, Aligeros cœlo demiſit ad *Iſtrum*,
Partaque *Vinſorio* eſt *Germanica* Laurea Fano.

Non *Illam* lætæ, citharâ plaudente, Choreæ
Detinuêre Sacris; pernix non Dama viretis
Traxit anhelantem; non mixta adverſa ſecundis;
Non Dura Imperii; dubiive Negotia Mundi.
Hanc Sacer Antiſtes, medias cùm ſtaret ad aras,
Compoſito inſignem vultu, geſtuque decoro
Cernens, ſæpè novas concepit pectore flammas,
Ardentemque animam propiùs conjunxit Olympo.
At non veſano pulſans præcordia motu
Huc illuc volviſti oculos: Sancti ima Caloris
Mens agitur flammis, & amico carpitur igni.
Haud ſecùs in Furno ficcandas lenitèr herbas
Blanda favilla bibit, flammæque hausêre ſilentes;
Non furit unda recens, mediove exſpumat aheno:
Quin ſenſim ſtillant lento fornace liquores
Immortale merum, dignumque Tonante Lyæum.
*Tu*que O! Qui Divæ veſtigia clara ſequeris,
In Quem Sacra Deûm, & Domus inclinata recumbit,
GEORGI, Quo coram Ritus celebrare parati
Adſumus Antiquos, nec vana effundere Vota;
Oxonidûm mixtos Spe ſubrepente Dolores
Excipias: plauſuſque parantibus annue Muſis.
Hiſce Tuis ſaltem non uno nomine Tectis,
Olim ab *Aluredo* poſitis, & *Saxone* dextrâ,
Sis bonus O! faveaſque, aliâ non ſtirpe creatus.
Te Tua, non aliena, vocant: *Tu* Limina *Saxo*
Protege *Saxonidûm*, Patrioſque inviſe Penates.

Ar. Charlett S. T. P.
Coll. Univ. Magiſter.

JAM ſatis eſt; dedimus pretioſa Piacula Vitæ
Martyris; extremis, ANNA moriente, *Stuartûm*
Relliquiis. Tandem fauces ſatiata cruore
Cæſareo finem poſuit *Libitina* Triumphis.
At dudùm infenſi ſopitas Numinis Iras
Credidimus vani: cùm poſt diſcrimina mille
Nos ſimul, & laſſum Requies demulſerat Orbem.
Soſpitis Auſpiciis ANNÆ felicia luſtra
Auſi, & ridentes fuimus longo ordine menſes
Sperare: at vultu cladem meditata ſereno
Furtivam *Lacheſis* Vota imperfecta fefellit.
Prodiga collati jam pœnituiſſe favoris
Fata ſui, & Noſtri Succeſsûs invida credas.

At

At *Tu*, Cui moriens parili Virtute regendi
Tradidit ANNA ſacri Jus inviolabile Sceptri,
Imperii curis ſuccede Vicarius *Atlas*,
Nutantique *Stator* ſuccurre Salutifer Orbi.
Parciùs abreptæ tunc Nos Diſpendia tangent
Principis; alternis Pietas affectibus ardens
Se prodet, medioque exurgent Gaudia Luctu.
REX, ſalve! Tutelarem cognomine Divum
Angligenûm referens, devotam Numine Terram
Defenſure pari: *Te* nunc petit omnibus undis
Oceani Pater, & *Te* Sponſa *Britannia* Turres
(Pignora magna) ferens Regnis dotalibus ambit.
Chare veni; & recrea præſenti Numine Gentem,
Quæ, defideriis affecta fidelibus, omnes
Impatiens Votis & Donis opprimit aras:
Incuſanſque moras, ingrataque tædia puppis,
Abſentem queritur Regem, multùmque gemendo
Flamina & ignavos ciet in Tua Carbaſa Ventos.
Tandem dîa Salus affulget luce propinquâ,
Vota ſuos tetigêre Deos; affibilat Eurus
Blandior, & motis cava lintea ventilat alis.
Fallorne? an video properantibus Oſtia velis
Thameſis undanti ſubeuntem flumine Navim,
Pondere *Cæſareo* preſſam, Genioque *Britanno*.
Viſa mihi egreſſum ſubjecta *Britannica* Tellus
Excipiens Dominum, & ſtabili veſtigia greſſu
Dans firmare, ſinum plenum & prata herbida pandens.
Aſpice ut ingenti Procerum ſtipante Coronâ
Auguſtam ingreditur! quantus comitatur Euntem,
Quiſve Virûm circà ſtrepitus! quàm perſonat Aula
Plauſibus, Incolumi votis precibuſque Faventûm!
REX, ſalve! *Angliaci* fortunato omine Regni
Accipito Augurium, quod Fati Arcana revolvens
Numine plena canit Muſa, & præſaga futuri.
Europæ Decus, & Regina *Britannia* Rerum,
Auſpice *Te*, caput admirantibus inſeret aſtris:
Cana Fides, puroque refulgens caſta nitore
Relligio Priſci Cultûs retinebit honores.
Halcyonea Dies multa, & tranquilla Senectus
Te manet, ac Patrias texet, *Germanice*, Lauros
Plurimus *Angliacæ* conſertus ramus Olivæ.

Jo. Baron S. T. P. Coll. Ball. Magiſter.

Pietas & Gratulatio Univ: Oxon.

BIS jam Fœmineo gaviſa eſt *Anglia* Sceptro,
Et bis Fœmineâ Libera facta Manu eſt.
Faſtoſum *Hiſpanum* fræno conſtrinxit *Eliza*;
Et *Galli* excuſſit non minor ANNA Jugum.
Quos non *Germano* ſperet ſub *Marte* Triumphos,
Quam toties palmis extulit Ipſa *Venus*?

Jo. Wynne S. T. P.
Coll. Jeſ. Principal. & Dnæ. Marg. Prof.

O! Umbra æthereis Auguſtior addita Divis,
Certamus Cineri Debita ferre Tuo.
Reſpice ſollicitos; cape Dona extrema Tuorum,
Qui decorant ſparſis Regia Buſta roſis.
Mœret, nec ſolitos cantat *Rhedycina* Triumphos;
Funereos poſcit flebilis ANNA modos.
ANNAM maternis perculſa *Eccleſia* curis
Plorat; & amiſſas anxia deflet opes.
Quis Gemitus Myſtis? triſtes ſpatiantur ad aras,
Et tacito luctu ſaucia corda gerunt.
Nunc poſita inceptis luſtrant fundamina Templis,
Nec lacrymis parcunt Saxa rigare piis.
Quin teneant fletus: Aderis Spes altera, GEORGI;
Firmabis regni jura Fidemque Tui.
Tum Templa aſpicient *Britones* ſurgentia; & Ædes
Tu Veteri ornabis Relligione novas.
Non iterum audebit Sacros corrumpere Ritus,
Nec ſtruere occultos perfida *Roma* dolos.
Stabit Honos Templis, ſtabit *Tibi*: protegis Aram
Tu Sceptro, & Sceptrum protegit Ara Tuum.

Jo. Potter
S. Theologiæ Profeſſor Regius.

TArdè creſcenti Laurus vix ceſſit Olivæ,
Seram & libavit defeſſa *Britannia* Pacem,
Quùm Terris ANNAM dilectam invidit Olympus,
Miſcuit & ſubito naſcentia Gaudia Luctu;
Non hæc pollicitus nobis, quùm Muſa canebat
Optatæ Pacis reditum, &, ſine Marte, triumphos.
Jungere aquas triſtes feſtinant *Thamus* & *Iſis*,
Ut juſtis plorent Lacrymis crudelia Fata;
Et quaſcunque ſecant Ripas ſocialibus Undis
Enarrent, Quanto cedit *Rhedycina* Dolori.
Belloſiti Valles repetitis vocibus ANNAM
Heu! fruſtrà poſcunt: Reſponſat vocibus Echo,
Et circùm ingeminat mons omnis Amabile Nomen.
Quæ ſola hæc præſtare poteſt, *Tibi* Munera præſtat
Patria, & ingentem ſpirare laborat Amorem:
Hoc Pietas, hoc priſca Fides, & Cura Parentis
Exigit, hoc *Britonum* manet altâ mente repôſtum.
Sed mœſtas fundit non Patria ſola Querelas.
Quæ Regio in terris meriti non plena Doloris?
ANNAM Cui tutum debet *Germania* Sceptrum
Plorat, & *Auſtriacus*, Cui Fulmen debuit, Ales.
Veris indulget Lacrymis, *Ludovicus*, & ANNAM
Amiſſam deflet, Quam ſerò novit Amicam.
At propior Nos Cura, Dolor nos acrior urget,
Principis Auguſtæ renovata occurrit Imago,
Qualis erat, Muſarum ædes inviſere dignans,
Quùm placidè aſpexit *Rhedycinam* Nobilis Hoſpes;
Et Qualis fuerat, quùm fidus ab ore Senatus
Audivit, quanto Populum dilexit Amore,
Quàmque *Illi* fuerat trepidans Eccleſia Curæ.
Regia ad extremos deſcendit Cura Nepotes,
Sacri & lætantur Manes, quòd GEORGIUS Hæres
Suſcepit Regnum, dignus Qui Sceptra *Stuartûm*
Geſtet, & Imperium meritò moderetur Avorum.
Aſpicit exultans felices ANNA *Britannos*;
Dumque novo Amplexu gaudet foviſſe *Glovernum*,
Illi haud Abſimilem gaudet ſperare *Britannos*.

Jo. Harwar S. T. P.

Coll. Magd. Præſes.

ESTne, ubicunque latens, *Phœbi* certiſſima Proles,
Arte potens, mœſtis plectra movere Sonis?
Surgat, & extinctæ ANNÆ delectabile nomen
Invocet, & Cineri Dona ſuprema ferat.
Quantum Opus aggreditur, partas longo ordine Palmas,
Et Gentes domitas, dum recitare parat?
Hinc longè Spolia effundit *Germanica* tellus,
Inſuetiſque rubet turbidus *Iſter* aquis.
Illinc ſemirutas oſtendit *Flandria* turres,
*Malburii*que Ducis clara Trophæa manent.
Borbonius longùm aſſuetus dare Jura per Orbem,
Sternere & hoſtiles, Victor, ubique manus,
Orat jam Pacem; *Anglorum* ſuperatus ab armis,
Europam Imperio dedidit, ANNA, Tuo.
Quid memorem tanta Acta foràs? propiora loquacem
Invitant Muſam, & nobiliora domi.
Scotia, Gens infenſa olim, atque Domeſticus Hoſtis,
Militiæ patiens, Progenieque ferox,
Anglis, ANNA, Tuis æterno fœdere juncta,
Una Ambas clades jam manet, Una Salus.
Auſpiciis ANNÆ, Templorum mœnia ſurgunt,
Hæc fovit Myſtas, Relligioſa, Deûm.
O Diva Armis Conſiliiſque Invicta! ruentem
Una potens dextrâ ſuſtinuiſſe Globum.
Mors aliis metuenda, ANNÆ jam optata propinquat,
Hanc rapit à Terris, tantùm ut ad Aſtra ferat.

In adventum Exoptatiſſimi *Regis* GEORGII.

PONe modum lacrymis, mœrens *Brittannia*, Præſens
Qui minuat luctum, GEORGIUS ecce Venit!
Salve, Invicte Heros, Solium læto omine ſcandis,
Te plaudens Populus, *Te* Procereſque vocant.
Jurgia longa ſilent, fugiunt diſcordia Vota,
Mentiti Hæredis ceſſat ubique Metus.
Alter felices tutatur GEORGIUS *Anglos*,
Cappadoci & Famâ, tum Pietate Prior.

Jo. Holland S. T. P.

Coll. Mert. Cuſtos.

SI fletu Manes, ſi Numina voce moveret
Anglia, ſi precibus manſueſcere neſcia Fata:
Non *Te* defunctam, Muſæ, *Regina*, dolerent,
Atque Deos atque aſtra vocaret dura *Britannus*,
Te veniente die, *Te* decedente requirens.
Te potius canerent mittentem Fulmina Belli
Gentibus horrendi trepidis; Victrixque volentes
Per populos ut das Leges: Quo limite *Gallus*
Terræ avidus regnum claudat: Quis temperet urbes
Heſperiæ ſceptro: Quæ propugnacula *Belgæ*
Tuta parent Libertatis Patriæque Larumque;
Pacatuſque quibus gauderet juribus Orbis:
Aut quo Templa modo ſurgunt, Tua Cura, ſacrata.
At cui ſuppeterent in talia Carmina Vires,
Quæ *Tibi* pro meritis laudes grateſve referrent?
Quòd Cleri anguſtas propiùs res adſpicis, ANNA,
Dum *Rhedycina* manet, dum ſtant Delubra vel Aræ,
Dum Virtutis Amor, vel pulchri Gratia facti,
Semper Honos, Nomenque tuum, Pietaſque vigebunt.
In *Te* nunc, GEORGI, Regna inclinata recumbunt,
Tu nunc ſola Salus, *Britonum* Spes unica reſtas.
Tu Pacis recolens Artes, animoſque feroces,
Otia qui rumpunt Patriæ, mala bella cientes,
Imperio reprimens audax, nova ſæcula condes,
Irrita depellens Sceleris veſtigia terris.
Jam video vultu ridentia cuncta ſereno,
Et ſecura Tuo labentia tempora Ductu.
Nil ovibus metuet Paſtor, ſegitive Colonus.
Impiger extremas tutus Mercator ad oras
Per mare pacatum decurret. Gramine Vates
Propter aquæ rivum vino gaudebit & umbrâ,
Et laudes reſonare Tuas Nova Regna docebit.
Spargite humum foliis, manibus date Lilia plenis,
Nectite purpureos flores; *Saturnia* regna
Jam redeunt: fugêre Metus ac Omina dira.
Sic tenebris denſis & nubibus obſitus æther
Terrores adfert latè; ne turbine nigro
Ferret hyems ſubitò ſata læta boumque labores;
Et fœda ingrueret tempeſtas imbribus atris,
Fulminibus fervens rutilis, ac agmine aquarum

Cum ſtabulis armenta trahens: Simul æthere ſummo
Protulit os *Phœbus* ſacrum, tenebraſque fugavit:
Sunt lætæ pecudes, avibus virgulta reſultant,
Et contracta metu gaudent mortalia corda.

Geo. Carter S. T. P.

Coll. Oriel. Præpoſitus.

Anglia laurigeris Gens longùm aſſueta Triumphis,
Vulnera nulla timens, dum *Mars* ſtetit acer in armis,
Pace datâ, grave Vulnus alit: confectaque Curis
Vix patitur, quem non potuit ſperare Dolorem.
Deſeris, ANNA, Tuos, & Nos Tutela relinquis?
Soſpite *Te*, Nullos hoſtes Tua Regna timebant;
Sæpè invita Tuas experta eſt *Gallia* Vires,
Invictaſque Manus; agnovit *Iberia* duro
Milite quid poteras: Gens utraque Fœdera gaudet
Firmare, atque vacat nunc funera flere Suorum.
Damnum Nos gravius patimur, Nos flere vacamus
Funera Reginæ; quantum nunc *Anglia*, quantum
Scotia Præſidium, & quantum Tu perdis, *Ierne*?
At juſtos tandem fas ſit lenire Dolores;
Sumite nunc animos *Angli*, neque cedite Curis:
Ne Dolor efficiat, quod non effecerat Hoſtis.
Sed quò Conſilium? Vani procul ite Timores,
Ite leves Curæ; quos attulit ANNA Dolores
Interitu, nobis adimit REX; *Ille* benignus
Ad Nos accelerat per diffita Regna, fluentes
Tergeat ut Lacrymas, & priſtina Gaudia reddat;
Alter adeſt Princeps, Qualis modò Sceptra tenebat;
Vivat, & ad Superos *Te* ſeriùs, ANNA, ſequatur.

Joh. Brabourne S. T. P.

Aul. Nov. Hoſp. Principal.

Ω Κῆρες, Βρεταvῶv ἄvθος, θεράποvτες Αθηvίης,
Οι τεμθήv νείμαθε παρ' Ισιδος ἀγλαὸv ὕδως,
Ους πέρι Μῶσα φιλεῖ, vεῶ ἔπλεθ' ἔργov ἅπασι
Δακρυόεv κηδαριζομθήοις αἰαζέμθ Αvvίῳ,
Πᾶσι φίλῳ κεφαλῇ, τὴ Αρτεμις ἰοχέαιρα
Οις ἀγαvοῖς βελέεσιv ἐπώχεθ', θυμὸv ἑλῶσα.
Αλλ' ἅ γθειώτε διοτρεφέ' Βασιλίασης
Κυδίστῳ, ἐαθλόv τε vόov, κ' μήδεα πυκvὰ
Εισπέαθω, φωvῇώ τε Ϲ αἰδοίῳ ἀγορητύ,
Καὶ ἔπεα γλυκίῳ μέλιτος καταλειβομθήοιο.
Αλλ' ὅ' ἔvθεv ἀμειβέαθω ὀπὶ καλῇ ἀείσας,
Ως vηὸς ποίησε θεῶv, ἠδ' ἐμμθρὲς αἰεὶ
Τειρομθήωv πεvίῃ δειλῶv, ὡς ὅ κέ τις ἄλλ',
Κηδομθήῃ, δώρῃσι κακὸv ἀπὸ λοιγὸv ἄμυvεv.
Η τ' ἀγαvοφροσύvῃ, καὶ μειλιχίῃ ἐρατεvῇ
Εvδυκέως ἱρεῦσι φόως ὁσίοισιv ἔθηκεv,
Ολβov χαμαθήv ἐπ' ἀμύμοvας ἀρητῆρας.
Τἄvεκά μιv λαοί θ', ἱρῆές τ', ἠδὲ μέδοvτες
Τίovθ', ὡς ἄτις ποτ' ὄπι χθovὶ τίετο ἄλλη,
Οσσαι σκηπτῦχοι λαὲς ἐδάμασσεv Αχαιαι.
Αλλ' ἔπεθ', ὦ Μῶσα δίδυ φόρμιγγα λιγεῖαv,
Φήσ', Η δὴ ἐαθλὰ μὲ Αννη μυεῖ ἔοργεv,
Αλλα τὸ δὴ μέγ' ἄριστov ἐvὶ Βρετανοῖσιv ἔρεξεv,
Η δοιὼς σωέηκε θεὶφρεσιv εἰς ἕvα λαὸv
Παvσαμθήους ἔριδος, καὶ ὁμόφρovα θυμὸv ἔχοvτας.
Εvθ' ἕτερθεv μὴ ἀοιδὸv ἀνήσ' θυμὸς ἀεῖσαι
Αvτιάvειρεv Αχαιοῖσιv, ἴσιov γλαυκώπιδι κούρῃ,
Ανέρας ὁτρυvέμεv θ' ὅπι πολέμοιό τε μαχάς τε,
Οιας ὀχ Ελέvη ἐvέπαυσεv, δῖα γυvαικῶv
Ισῷ μαρμαρέῳ, πολλὼς ὅθ' ὕφαιvεv ἀέθλους
Ηρώωv Δαvαῶv, Τρώωv θ' ἱππoδαμόvτωv.
Ω πόποι, ὡς ἡ τόδ' ἀπήχεσε λυγρὸv ὄλεθρov,
Ου πόαι, ὃ τέχvαι Χείρωvος Φιλυρίδαο,

Ουχ ἱκέται βωμοῖς Πατέρες, καὶ δῆμος ἀπείρων
Ημαὶ τῷ, ὅτε κῆρες ἔβαν μέλαν@ θανάτοιο.
Ως ὁ μὲ οἰμώξας λήξει τονόεσσιν ἀοιδιύ.
Αλλ@ σ', ὦ Φοῖβ@ θείας φρεσὶν ἔμβαλεν οἴμας,
Μολπῆς ἔξάρχων ἀναβάλλοι καλὸν ἀείδειν,
Τερπόμν@ Βασιλῆι, νεήλυδι ποιμνίι λαῶν.
Χαῖρέ μοι, ἀπάσιε, Βρετανοῖς τρίλλιστος ἐπῆλθες,
Υγρὰ κέλευθα θαλάσσης ἀλὸς ἀτρυγέτοιο,
Τεὶς μάκαρ, ὦ Βασιλεῦ· Σὲ γὰρ ἤγαγε μητέτα Ζεύς
Νῆσον ἐς ἠμετέρην θείης ἀντάξιον Αννης.
Καί Σοι ὑπὸ σκήπτρῳ λιπαρὰς τελέσσι θέμιστας
Παῖδες ἐϋμμέλιαι Βρεταvῶν· πλώσσι δ' ναῦται
Νηυσὶν ἐϋστέλμοις ἐς νείατα πείρατα γαίης·
Ολβ@ τ', ἀνομίη τε, καὶ εἰρήνη ἅλις ἔσαι
Νήσῳ ἐν ἀὐρυχόρῳ· Σέο δ' ἠλέ@ ὅποτ' ὀλεῖται,
Αλλ', ὡς Καππαδόκοιο Γεωργίυ ὄνομα Αγγλοις
Τίεται, ὡς Σοὶ κῦδος Ολύμπι@ ἐγγυαλίξει.
Σή τε βίη, Ηρως, ἴφι Βρεταvοῖσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, λαοῖς δωτῆρες ἐάων.

Tho. Terry S. T. P.

Eccles. Christi Subdec.

& Gr. Ling. Reg. Professor.

POſtquam, Diva, tenes Virtutis Templa ſerenæ,
Palmiferumq;Chorum,& ſacros agis, ANNA, Triumphos;
Flere ſimul Tecum Solatia rapta licebit,
Laureaque humenti diſtinguere Serta Cupreſſo;
Æternas *Tibi* dum nectens *Rhedycina* corollas
Addit Avo decus, & *Te Martyris* inſerit Aſtro.
Nec tantum egregiis peperit *Tibi* Nomen ab Armis
Mentis vivida vis, ac æmulus Ardor *Elizæ*;
(Magnanimam quamvis *Germania* Libera dicat,
Bellatricis Opem agnoſcens; *Blenheimia* quamvis
Ipſa *Themis* memori ſuſpenderit æde Trophæa;)
Quantæ laudis erat placido facundia rivo,
Gratiaque ore nitens, & pulchris Suada labellis,
Mens inopem miſerans, & dextra parata petenti,
Mitior in pœnas, nec Sanguine tincta Securis!
Tum varios præſcire ſagax Prudentia caſus,
Et Maternus Amor populi, ſed Cura virilis,
Alma fides, &, quo jampridem ſydera adibas,
Illæſus Pietatis Honos, ſanctique Pudoris,
O quam *Te* memorem! dum grato Altaribus ipſis
Munere, *Primitias*, Votum immortale, reponis,
Partirique negas Sacros cum Numine Cenſus:
Aut, inſtans operi, magnam centena per urbem
Fundamenta locas, Templis ſpatia apta futuris,
Pignora chara *Tui*; precor & quæ GEORGIUS Ipſe
Perfecta aſpiciat, lætuſque coronide cingat!
Hæ *Tibi* erant Artes. Hinc Regnis addita Cuſtos,
Et Fidei, cognata Domus; Cui tradis habenas
Ipſa volens, in quam Gens inclinata recumbit:
O felix Thalamus, cui ſpem ſurgentis *Juli*
Adjicit, *Auguſtos* pariens CAROLINA *Britannos*!
Felices olim populi, quibus aurea creſcit
Progenies Heroum, & non mutabile Sceptrum!
Hoc Decus Imperii noctes feſtina dieſque
Conſilio urgebas, hic Votis terminus hæſit.
Sic *Tibi* parta Quies, Patriæ dum ſedula Mater
Proſpicis, everſo tentans ſuccurrere ſæc'lo.
Mortales viſus æquâ jam mente relinquis,
Et morum niveo latè loca tramite ſignas.
Haud ſecùs effuſas, ſpeculatum emiſſa, Columba
Exploravit aquas, litus neque vidit aquarum:

Ut cœli cecidêre Minæ, & ſubſidere Pontus
Cœperat; & durare Solum, tum ſigna ſalutis
Ore ferens rediit, frondem felicis Olivæ.
Mox ubi certa fides telluris, & hic ſibi magnus
Redditus orbis erat, ſedem quà ſiſtere detur,
Non reditura, petens, ſylvæ ſe condidit umbrâ.
Illa quidem terris indulſit læta receptis:
Te docet, ANNA, vagæ pennam exuperare Columbæ
Dius Amor, purique in luminis evehit auras.
Nunc ad *Te*, & Tua, *Magne Pater*, mandata Camœnæ
Se referunt, feſtique agitant Præludia Circi.
Da veniam, PRINCEPS, lacrymis; has *Principis* Urnæ
Solvimus Exequias. ANNAM qui luget Ademptam
Te cupit Incolumem. Dum tanto in Funere Cives
Attonitis hæsêre animis, ſperare Salutem
Tu, Pater, afflictiſque jubes confidere rebus.
Communis populum viſendi *Cæſaris* Ardor
Excitat; haud alio miſcentur pectora motu;
Partium abeſt ſtudium, Regem certatur amando.
Hâc unâ Fora lite calent, hoc ambit & Aula,
Plebs & voce petit, Clerus prece, lege Senatus.
Ingens imperii Columen! Quo *Rhenus* & *Iſter*
Vindice gaudebant, & tanto fulmine belli;
Te ſibi nunc Dominum *Thameſis* vocat omnibus undis.
Alme veni, cape ſacra manu, viduataque Sceptra.
Advenies, iter omne *Tibi* nam proſpera dixit
Relligio; niveis circùm Pax annuit alis,
Datque viam vento facilem, ſpiratque ſecunda.
Hi molles aditus, hæc læta Exordia Regni!
Litora nota petis, Tua claſſibus Æquora curris.
Nec minùs, invicto Comes exoptate Parenti,
Tu, Princeps AUGUSTE, veni: quo turbine torquet
Enſem dextra *Tibi*, & Patrii quid *Martis* haberes
Vidit *Scaldis* ovans, ſocio & cum flumine *Moſa*.
Nunc *Te Pierio* feſſum recreare ſub antro
Vatum turba parat; *Tibi* Præla ingentia ſudant:
Te Camus decorat titulis, & laudibus *Iſis*.
Ipſa quoque in plauſus *Tibi* panditur alta *Theatri*
Janua; quæ Magnum Genitorem Regia cepit,
Te capiat: Sacris accedas Mœnibus Hoſpes,
Et, rerum Dominus, defendas Jura Togatus.

Baſilius Kennet S. T. P. C. C. C. Præſes.

MItia Vos olim nobis, Vos, Fata, benigna
Diximus, hoſtiles *Angli* cùm ſternere turmas,
Et potuêre domum, multâ cum laude, redire;
Mitia credidimus: ſed quanti hæc Gaudia conſtant!
Unius in letho quantum nunc, Fata, nocetis!
Quin Fama accelerat totum pennata per orbem,
Fama benigna diù; nec onuſtas tardiùs alas
Jam movet; at Cladem, quam vix tulit *Anglia*, terris
Longinquis narrat: cùm Gens inimica Dolores
Agnoſcat noſtros, vel Gens inimica dolebit.
Gens inimica fuit; ſed egent nunc hoſtibus *Angli*:
Nobis parta Quies, & certo fœdere dextras
Junximus; Hoc magni Monimentum & Pignus Amoris,
ANNA, dabas; ah! ſi valuiſſent Vota Tuorum,
*Tu*que Tuis donis, potirentur *Te*que *Britanni*:
*Te*que Sibi fidâ potiretur GEORGIUS. At jam
Ingratus rumor Regis cùm fertur ad aures,
Quid nova Regna valent? Quid Sceptra oblata juvabunt?
Et toties amplexa ANNÆ Diademata frontem?
Cogetur Solium aſcendens renovare dolores;
Flere ſcit; & Matris meminit lacrymabile Funus.
At, REX Magne, Tuos miſeratus deſine fletus;
Non poterunt REGIS lacrymas perferre *Britanni*:
Quò fugiant mœſti, ſi *Tu* mœrore gravaris,
Curarum Requies, deſertis dulce Levamen?
Lætitiâ plaudent, ſimul ac placida induis ora.

Car. Gardiner A. M. C. C. C. Soc.
& Acad. Proc. Sen.

POST fuſas *Gallorum* acies, partoſque Triumphos,
Otiaque *Europæ* tandem inſtaurata, trophæis
In mediis Regina cadit: furatur Olivam
Mors ſubita, & Sceptri ſacros invadit Honores.
Ergone *Tu* moreris? neque jam, Regina, *Britanno*
Ampliùs interſis populo, mundoque labanti?
Sic noſtræ valuêre Preces? Sed fungor inani
Munere, nec curat lacrymabilis Urna Querelas
Oxonidûm: non, ſi *Threïcia* plectra ſonarent,
ANNA valet dîas remeare in luminis oras.

Viſa mihi aſcendens cœli ſplendentia Templa,
Inceſſuque Deæ ſimili ſublimè recumbens
Indigetes inter Proavos. Accurrit *Eliſa*,
Accurrit *Maria* Soror, Natuſque *Glovernus*;
Pulchrior accedit Conjux, ævoque timebunt
Juncti iterùm amplexus divortia nulla futuro.
Quò, mea Muſa, ruis? quid me per opaca locorum
Corripis? En! oriens tandem ſuper æquora *Phœbus*
Diſcutit has tenebras, lumenque inſtaurat *Eoum*.
Quæ Ratis *Angliacos*, fulgentia Signa, Leones
Explicat? Ut Pondus complectens dulce capaci
Oceanus gremio arridet, Dominumque ſalutat!
Ecce! ſuas Princeps ſuper emicat Ipſe catervas,
Vultum humeroſque Deo ſimilis! Stat proximus ore
Filius egregio, Noſtri Spes altera Regni.
Te jam Pacificum, *Cæſar*, Tua Lumina miti
Fulgure perfuſa agnoſco, Dextramque faventem.
Non ità, cùm Vultus mediis in millibus ardens
Terrificos ſparſit radios; cùm Vertice Dextra
Barbarico rapuit lauri *Budenſis* honores.
Hinc atque hinc circumfuſo ſtetit agmine *Turca*,
Chriſticolis tormenta minans, & miſſile plumbum.
En! tamen Infidæ deponunt arma Cohortes,
Et decreſcentis metuunt Opprobria Lunæ.
Haud aliter Divus ſteterat Mavortius olim
Angliacæ Gentis, cujus *Tu* Nomen adeptus,
Præſidium; vero accenſus Pietatis Amore
Auſus erat ſuperare, Crucis ſub imagine tutus,
Barbariem; *Fideique* audit *Defenſor* avitæ.
Jamque, *Pater Patriæ*, rerum modereris habenas,
Molle jugum renovans: Populi, plaudente Senatu,
Te manet Obſequium: *Te* Eccleſia fida veretur
Regibus, inque Tuas concurrunt Schiſmata Laudes.
Quin *Tibi* poſt Martem, defunctaque *Palladis* arma,
Pieriæ ſit Cura Domûs, noſtræque *Minervæ*,
Et poſt emeritam Laurum, tuearis Olivam.

Sam Newte A. M. Coll. Bal. Soc.

& Acad. Proc. Jun.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

علي الموت اعظيم الملكاة الحنا
وعلي الوفادة الامير اجلال جيورجيس الملكني ،،
قصيدة عربية مصنغة من البسيط والوافر ،،

دور الحناني هكدا اوه بالطفل
وجمالها في سرع كالرمان
كيت السريعة ان خيرة الملكة
وبهجتها في حال بالغسان ،،
الطوقها مظلوم فجا من ظلوم
لامم حوث غرباء ناصيرة
وناجحها اقعاس لالشعون اكتر
عصمة لجيلي ولة الرخيرة ،،
ايديكم باطلا يابنون الحكماء
ركبوا دواء بيسك لا مفيد
في كل اخبير لم الاد فيه حفظا
احسنة الملكاة من دويد ،،
في القرعة وحد السوقة والسلاطين
ايش لا يقول الرمان محال
ان دم كل داس من سواء الزوام
لا بفتاء امن لا بكتهال ،،
فعلي الناصيرة العلمهم والقصيد
فاما بكي كدا يا الشعراء
والنجيب ان راب علي الاريكتها
وهو بلي الخفير الشعراء ،،
يقبل قد هو في خسران الملكتني
ان وديع لشعوبة الاميم
وفيه اليمن السلطان بطول الايام
ولا يقطعن خيطة التقاديرة ،،

Joh. Wallis. S. T. B. Coll. Magd. Soc.

& Ling. Arab. Prof.

Carmen Hebraicum.

אשירה נא שיר לידידי
שירת דודי שיר תפארת
שמע נא זאת כל העמים
להיות על לב למזכרת
האזינו כל ישבי ארץ
ברזל וברזל ועופרת
אטה נא למשלים אזני
ולשוני חכמות רוברת
הגורת לבי גם התבונות
כל דברי הזאת אגרת
אשא כנור נעים ותף
עם נבל ביום העצרת
למה רגשו כל הגוים
היו כפרה סוררת
ולאמים יהגו שוא וריק
עם מלכי ארץ אחרת
על האל גם על המשיחו
נוסדו יחד במחברת
יושב בשמים צחק
האל תקן רום בזרת
דבר באפו אלימו
ובעברתו המבוערת
אספרה אל חק מלכות
אל תורת יה המאושרת
כה אמר האל למלך
הנה חקתי ננזרת
אנכי נסכתי מלכי
על לונרן העיר שוררת
מבית הנוור הנורא
לקחתי אומה נבחרת
מזרע יעקב הראשון
באלישבת לו בכורת
ואלישבת ילדה סופיה
סופיה ילדה בן תפארת
שם לו גאורגיוס מלך
בן חכמה אם המפוארת
בו כרתי הברית עולם
עם ברתניא הגוברת
הוא יצור מצות תורתי
את דברי הברית העשרת

ועברי שיקוץ או פסל
או התועבה נכמרת
לא בחר עליון באלה
כי כלם אומה צוררת
כי אם גאורגיוס הוא זה
ובנו זרע הנשארת
ובני הבנו גם ישבו
על כסאו ברת ננמרת
הוסרו כל שופטי ברתן
השפילי על המשמרת
גם בן ארם גם בן האיש
שלחו מלאכי השרת
ויבאו בית הנוור
אל העיר מלכה נבצרת
אמר להם מלך שלום
באכם אמר שר השרת
שלום מלכנו הגדול
שלום ואמת ועתרת
אך אוי הוי לנו כי מתה
חנה אם עמה במהרת
וישא את קולו ויבך
אוי לי האחותי יקרת
קול דודי הנה זה הבא
אל מלכותו מתעשרת
המרלנ הוא על ההרים
מקדם שמש חומרת
המקפץ גם על הנבעות
עובר בתהום אין נחקרת
עורי צפון בואי תימן
הפיחי אניה נמהרת
צאינה ראינה הבנות ברתן
בשלמה חדש בעשרת
שעטרה לו אמו חכמה
ליום חתנתו נאדרת
הוא כחתן מחופתו
יוצא עם בגדי ארות
שש כגבור לרוץ ארחו
לצלח ולמלך בחרות
שמחו יושבי איים רבים
כל ברתנים תקעו זרת

Johannes Gagnier A. M.

Carmen Arabicum.

بسم الله الرحمن الرحيم

المجد لله العز وجل الذي جاء بك
المدح لله الذي بدا الخلق في العلم
ايها ملكنا الذي في بوبو المجد
خار لك ولنا الله في دار السلم
استقبلوا له كبروا تكبيرا اكثيرا
عند مغيب القمر ها دور اشرق بقدم
كالشمس تظهر العينين من بعد
صغيرة وتكل الطرف من امم
وكيف يدرك في الدنيا حقيقته
انما قوم ديام تسلوا عنه بالحلم
فمبلغ في اكرامه المجده انه بشر
وانه هو خير خلق الله كلهم
وكل اياي الي الملك الكرام فيه
فانما انزلهم من النوره بهم
وانما بصيصهم هو كواكبه
ويظهرون انواره للناس في الظلم
احرم الله بخلق الملك زانه
بالحسن مشتمل بالبشر موسوم
كالزهر في طرف والبدر في شرف
والبحر في سكون والدهر في كرم
وهو الملك فردن في جلالته
انما يسموته سيد ذو الهمم
بارك الله فيه ودارك كل دره
انعمه الله من السما بكل دعم
يودي ان يكون كذا للملكنا
تعرف بمارجاورجيوس بسم

Johannes Gagnier A. M.

Carmen Syriacum.



Johannes Gagnier A. M.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Carmen Anglo-Saxonicum.

La hu mæg ic nu
Sorgum gepencep
Fela bysgunga peccenp
Liop sang gepyrcan.
Me ir fprofne deapf:
Anna peo pelefta cpen
Anp peo epelefta
Of eorpan dreamum
Sona gepat.
Be hyne forðriðe
Behreoprað ur hit nu.
Be hyne uparstige
Hit blirrað ur þe ma
Forðanðe heo of earmum
Anp yfelum monnum
To hælenpe cpirte
Anp to haligra peope
Ðurh engla fultume
Fær bliðe upahafen.
Ðær heo þurhdunað
On heofonlicre dugoþe
A to ecenyrre:
Mid hyne epelum forepengan
Lpenan ȝ cyningum:
Ðær re cyning Epelbyrht
Æreft on cirtendome.
Ðær peo Behta cpen
Engla ealra geleafulra.
Seo pær rode modor
Annan ða cpen
Bliðum mode gretað:
Ðær peo Epelburga cpen,
Anp peo clæne Epelori̇ða
To hyne ymbfangennyrre
Epellice gecyrrað.
Forðanðe peo þæt
On earde nixade relorta
On heofenum nu reeal
Fulorian reonerta.
La hu re mæra Ælfred cyning
Se þe Engla þeode
Mid rige ȝ mid lare
Anp mid ræligum domum
Spiðort geglengep.
Annan ða cpen
On ecere blirre
Æfterlice gretað:
Ðæro Eadpard.
Eadmund. Ethelftan.
Eadgar eac ȝ Epelred.
Ðæro re oþer Eadpeard.
Cnut eac. ȝ re ðridda.
Mid Edidan ðære cpenan
Geleredan. ȝ clænerran.
Mid ealra Normanirca leoda
Lyningum ȝ cpenan
Fram Behtan þære fyfmerran
To Elizabedan:
Hie nu ramod ealle
On pulpre blirriað.
Forðy liodþyhtar
On fægre Oxnaforde.
Sælige on Cantbrigge
Singað lioða:

In

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

In Adventum GEORGII *Sereniſſimi.*

Nu ıſ hıt to ſpeccanne
Ymb þæne tocýme
Leoſgıuſeſ cýnınges
Lıu on Bſunneſ ſıce
Ðæſ mæſan hefetogan:
Done Anna ſeo cpen
Mıð ſıtena geðeahte
Lenumen hæfð toſunu
Anð to ýſſenuman.
Engliſcna ðeoða ſıceſ.
Ðæt ſe þe ıſ of ðeaxna bloðe.
Ðuſh menigfealð gecýnð
On Engla ðeaxna leoðe
Ah nu gefealð:
Beo he uſ to fæðeſ
Mılð ȝ luſigenð
Beoð pe him to beaſn
Eaðmoðe ȝ bliðe:
Utan him to genealæcanne
Ðe rıgefæſtlıce
To uſe fultume becume
Fıðbæfenð cýnıng.
Fıſ ȝ ſoſð fnotoſ:
Eala engla paſu
To ſpiðe afýnðſoðe
Moðe on ungefaðe
To anum geðance
Ðuſh hıſ ſıfðome
And hıſ mılðheoſtnýſſe
Raðe eop he beð.
Hýſſum ıað eop nu ða
Engla ðeoða.
Eoſſa cýnınge
Blıſſıgenðum moðe:
Ðe eoſſa æ ȝ ðomaſ
Healðan ſceal mıð ſýhte
And of eoſſa feonðum
Befeſıan mıð mıhte:
Halıge Bıſcoſaſ.
Pſeoſtaſ. ȝ Diaconeſ.
Ðe on cſıſteſ cıſican
Æfæſtlice ðemað.
Foſ eoſſa cýnınge
And hıſ ýſſenuman
Lýnelicum æðelingum.
Eaðmoðlice biðað.
Ðe goðeſ ðeoſaſ
And cıſıclican þeaſaſ
Fſıðıað cýnelice:
Eala ge laſeoſaſ
Ðe on boc cſæftum
Sınð ſpiðe gefelegoðe-
Eoſſa cýnınge ſýlað.
Ðam boc cſæftigum
Ðam gelæſeðeftan
Ðæt eoſ ſælofte býð
On eoſſe boc cſæfte:
On Oxnafoſðe hoðſýſhtaſ
And on Lſantabſıcgge
Sıngað hoða
Sıngað fela hoða:

Gulielmus Elſtob. A. M.
è Coll. Univ.

Ad Regem.

ANNÆ dum Exequias propero celebrare, Dolori
Indulgere nimis prohibet Præſentia Veſtra,
Intempeſtivis Lacrymis ne in Publica peccem
Commoda, neu videar Juſtos temerare Triumphos.
Salve Feſta dies, noſtras quæ advexit ad oras
Te incolumem; *Te* omnes læto clamore ſalutant:
Tu Stator Imperii ruituras fiſte columnas,
ANNÆ poſt Obitum, miſeris ſuccurre *Britannis*,
Auſpiciiſque Tuis, inſtantibus eripe Fatis.
Accede O! REX, & propiùs Res aſpice noſtras,
Externi longè meditata Pericla minantur
Hoſtes; Ecce! domi eſt Gens dura atque aſpera, dirâ
Seditione potens; falſis Rumoribus Iras
Exacuens, ſemper placidæque inimica Quieti:
Denique corrupit damnoſa Licentia mores
Antiquos, Reges ſpernens & Relligionem.
Degeneres Animos, GEORGI, *Tibi* Fata reſervant
Formandos ſtrictis Normis Virtutis Avitæ:
Tu Bello expertus ſævos compone Tumultus,
Legibus auſteris: Gentem frænare ſuperbam
Perge, & ſic ſtabili Populos in Pace tenebis.
Sit felix fauſtumque Tuum, CHRISTO Auſpice, Regnum,
Omnia *Te* contra pereant Stratagemata, & Hoſtes
Quicquid conantur, careat Succeſſibus opto.

Fr. White S. T. B.
Coll. Ball. Soc.

Ad Regem.

COmprime Muſarum lacrymas, Suſpiria Vatum:
Suſpirat Vates, pallida Muſa gemit.
Occidit ANNA Suis meritò ploranda *Britannis:*
Flebilior Sacris occidit ANNA Choris.
Hanc Pietas, *Hanc* Priſca Fides ſuper Æthera vexit:
Hanc Nos *Reginam*, Dii voluêre *Deam.*
Inclyte REX propera; Miſeri *Te* poſcimus Omnes:
Orba Parente ſuâ *Te Rhedycina* petit.
Tu relevare potes, quem concitat ANNA, Dolorem:
ANNA, Decus noſtrum, *Te* veniente, redit.

Gul. Dingley S. T. B. C. C. C. Soc.

OCcidit heu! Proles magnorum extrema *Stuartûm*,
Claudit & Auguſtum flebilis ANNA Genus.
Urbes attonitæ caſu quatiuntur acerbo,
Solveris in lacrymas, Terra *Britanna*, pias.
Ploras infelix, turbatos Morte Triumphos,
Spes malè conceptas, Deliciaſque breves.
Ploras Reginam, ploras, orbata, Parentem,
Rebus dulce Decus, Præſidiumque tuis.
Quis geſtare ingens, ANNÆ poſt funera, Sceptrum,
Quis poterit lacrymis finem adhibere tuis?
GEORGIUS En! aderit, ſolus Qui damna levare,
Solus Mortem ANNÆ Qui reparare poteſt.
En! venit Ille Heros, ventiſque impulſa ſecundis
Dividit æquoreas Regia Puppis aquas.
Erige Te, Plauſuque agnoſce, *Britannia*, REGEM;
Sic Gaudere juvat, ſic Doluiſſe decet.

Car. Cecil. Hon. *Rob. Cecil* Filius Unicus,
ex Æde Chriſti Sup. Ord. Com.

VIdeſne, *Clio*, quis Proceres Dolor,
Quis vulneravit corda *Quiritium*?
In plectra ceſſas? tange chordas,
Tange ſemel Tibi luctuoſas.
Olim ſolebas dicere Prælia,
ANNÆque Turmas pulvere ſordidas:
Quantoque ſublimis triumpho
Ibat Ovans mediam per Urbem.
Non *Illa* duxit luxuriâ diem,
Non *Illa* noctis tempora mollibus
Dedit choreis; nec Severas
Depoſuit ſuper urbe Curas.
Juvabat ANNAM Mœnia condere,
Aut conſulentem flectere Curiam:
Juvabat expedire Pubem
Angliacam per acuta belli.
Quid poſſit ANNÆ Cura ſagacior,
Teſtatur *Iſter* purpureo rubens
Cruore; teſtantur Trophæa,
Et celebres *Britonum* Triumphi.

Quin

Quin apta Paci, Fœdere calluit
Diſſentientes jungere Principes;
  Regumque novit temperare
    Imperio facili furorem.
Quâ læta riſit Pace *Britannia*!
Effuſa vulgi Gaudia vidimus;
  Cùm vix per obſtantes catervas
    Egit equos rutilumque currum
Regina; Patres vidimus ordine
Longo ſequentes: Tum *Tibi* plauſimus,
  Multos triumphos, atque Vitam
    Polliciti *Tibi* longiorem.
Ignara mens heu! neſciit exitus
Rerum latentes: occidis, occidis
  Regina; promiſſos Triumphos.
    Atque breves Titulos relinquens.
Jam triſte Murmur, jam miſerabiles
Vulgi Querelas audio: lentiùs
  Incedit Agmen, flebilique
    Officio comitatur Urnam.
Fuſis madeſcit Regia lacrymis;
Tumente mœret *Thameſis* alveo:
  Quin, *Angle*, tandem mitte Luctus,
    Mitte ſupervacuas Querelas.
En! Sceptra ſumit GEORGIUS aurea,
Genteſque fauſtis Auſpiciis regit:
  Britanna tellus nunc ab Ipſo
    Ducit opes animumque Damno.
Jam Civium ardor, rixaque mutua,
Jam conciderunt corda ferocia:
  Nec diſſidentes jam *Britanni*
    Ulteriùs meditantur iras.
Sic concitatis æquora fluctibus
Tumultuantur; mox caput erigit
  Neptunus undis, & tumentes
    Sternit aquas, rapidoſque ventos:
Ludit ſereno piſcis in æquore,
Suumque Cete, non ſine gaudio,
  Regem fatentur: Ille ſtrati
    Vrget equos per aperta ponti.

Edv. Bertie. Hon. *Jacobi Bertie* Fil. Nat. Sec.

ex Æde Chriſti Commenſ.

Carmen Hebraicum.

אדון כל הארץ ושמים
יללה הקים בירושלים
בעד מות מלך חזקיהו
ועל מות פתאם יאשיהו
בני ישראל יען כי המרו
עצת עליון ובריתו הפירו
בכה קינה יש בקהל העמים
וקול מרוד במושב החכמים
ימי חייה המלכה כלתה
ועתה חנה אוי בצלמותה
כגבור מלחמה מידי צרים
להצילה היא מגלה ריק אמרים
בקדשה חנה בקהל החסידים
אמת הכינה שלום על עמים
וכל לבנו שמח החסדה
בכל ארץ מה גדול הכבודה
אדנינו חנון ברכתך
למלכנו קומה אור פניך
נסה נא עליו את נפשו חלצה
בקרב מות ובך נעלצה

Tho. Troughear, A. M.
Coll. Reg. Socius, & Ling. Hebr. Prælector.

AUguſtos ANNÆ cineres, atque ora ſepulchri
Cæſarei reſerata, (tuos, *Libitina*, triumphos)
Inque graves effuſa ſimul tria regna querelas,
Heu! triſtis memoro. Quod ſi mihi dexter *Apollo*
Annueret, tales ſi poſſem ducere verſus,
Quales *Virgilius Marcello* fudit, ubi altos
Expreſſit matri gemitus, planctuſque ciebat;
Nulla dies meritas Dilectæ Principis ævo
Eximeret Laudes: Fors & venientibus annis,
Forte aliquis noſtris non ficco lumine chartis
Te leget, ANNA Parens, crudeli funere merſam;
Militiæque Tuos reputans Paciſque Labores,
Heu! quianam miſeros tot Numina volvere caſus
Angligenas voluêre? aut quæ tam flebilis ANNAM
Peſtis & ira Deûm vitiis rapiebat iniquam?
O Dolor, atque Decus, noſtrum! *Tibi* Sacra quotannis
Floreſque Lacrymaſque dabo, *Tibi* Munera Verſus
Parva feram, ſed quæ non Poſtera reſpuet ætas;
Hæc dicet, tepidiſque rigabit fletibus ora.
Interea tenui ſolamur arundine luctus
Ingentes, Superoſque omnes & Sydera mœſti
Ultro incuſamus crudelia, quod *Tibi* morbo
Nulla laboranti manus adfuit, ANNA, latentem
Avertens capiti peſtem, ſpargenſque per artus
Dictamni ſuccos, & odoriferam Panaceam.
Quin aliquis forſan, cui Mens Divinior, atque Os
Grandibus haud impar, narrat per tela, per ignes,
Auſpice *Te*, irrumpentem Anglum, penituſque remotas
Imperio adjunctas gentes; ut navita lucri
Securus celſa puppi ſecet æquor, utroſque
Sollicite explorans *Indos*; nunc Fœdera Reges
Ut coëant in læta, Tuumque hoſtilia Numen
Per *Te* compoſitis venerentur Regna Duellis.
Quis non ſuſpiret? cui pleno flumine ſalſæ
Non manent oculis guttæ? ſeu cum Tua Virtus
Maxima, ſive animo Divina recurrat Imago,
Et frontis mixta cum Majeſtate Venuſtas.
Te tamen in mediis, Princeps Auguſta, Triumphis,
Concelebrat *Jani* occluſam dum *Pieris* ædem,
Sæva rapit *Libitina*, Tuoſque abrumpit Honores.

O hominum ignaræ mentes! Nos fletibus ANNAM
Proſequimur nimis, & ſtudio decoramus inani
Tanquam infelicem, noſtrique doloris egentem:
Illa polo fruitur, patrioque incedit Olympo;
Et nunc *Glovernum* fuſis amplectitur ulnis
Oſcula dans Puero Mater, vel rurſus Amores
Longum intermiſſos renovat, Tibi, Maxime *Georgi*,
Reſpondens paribus curis, heu! nunc Tua Conjux.
Dii, quibus imperium eſt Pelagi, quorum æquora *Cæſar*
Navigat æratis tranans vada ſalſa carinis,
Si bonus *Æneas* præſenti Numine veſtro
Ilium in *Italiam* vexit, ſacroſque Penates,
Inſignem Hunc Pietate Virum, Fatiſque vocatum
Servate incolumem, noſtriſque reponite terris:
Ipſe manu curvam *Portumnus* in æquore navem
Impellat celeri curſu, pelagique tumentes
Candida ſternat aquas Domino Maris *Amphitrite*.

Gul. Le Hunte A. B.
ex Ædc Chriſti.

Carmen Paſtorale.

Corydon, Thyrſis, Alexis, Interlocutores.

IN viridi campo *Thameſina* ad litora, juxta
Vinſoriam, haud ſpernendam Aulam, Palatia Regum,
Forte ſub umbroſa *Corydon Jovis* arbore ſedit,
Advenitque ſimul *Thyrſis* comitatus *Alexi*.
Colloquium alterno cœperunt carmine mœſti,
Hoc *Corydon*, Illud cecinit miro ordine *Thyrſis*,
Compoſuitque amborum animos modulamen *Alexis*.
Cor. Ecce vices rerum inſtabiles! en lubricus ordo
Parcarum! nitidi facies pulcherrima cœli
Quam cito vaneſcit, ſpiſſis adoperta tenebris!
Quamque infelici turpantur gaudia luctu!
Et commixta malis abiit fincera voluptas! [dales,
Thyr. Quorſum hæc? ante alios, *Corydon*, memorande ſo-
Anne aliquis teneros oculus Tibi faſcinat agnos?
Aut ovium rigidis fruſtra premis ubera palmis?
Anne tuæ pecudes ignotis montibus errant?
Infectuſne perit ſcabie grex totus in agris?
Fare, age, & enarres quæ ſit Tibi cauſa doloris;
Nec me lugubri exanimes ſic voce querelis.

Cor.

Cor. Nil tale, O *Thyrſi*, in cauſa eſt, ut rere, dolendi,
Me quoddam intimius pungit, me cura remordet
Acrior, atque malum gravius præcordia tangit.
Thyr. Urget Amor certe, & lateri lethalis arundo
Infixa eſt, pectuſque gravant *Amaryllidis* Iræ,
Sed ne diſcruciet, nec Te malus auferat error,
Invenies aliam, ſi Te Hæc faſtidit, Amicam.
Cor. Tu ne verba gravi miſce importuna dolori,
Ne, quam pacares, luctus magis unda tumeſcat;
Armenta ad paſtum ducas, nec ſcire labores,
Quod notum, tollet vitam, vitæve quietem.
Thyr. Si Tibi grata unquam fuerit mea fiſtula, ſi quid
Longa fides, *Corydon*, ſi quid pia jura valerent,
Si Tibi fert animus propriæ indulgere Saluti,
Perque Lares patrios, Faunoſque, Araſque, precamur,
Quod Te cunque premit, veteri committe ſodali,
Namque dolor, tulerit partem ſi fidus amicus,
Fit levior, diviſa minus ſic æſtuat unda.
Cor. Occurrit menti dum rerum Triſtis Imago,
Deficiunt vires, vox languida faucibus hæret,
Quo minus edicam prohibent Suſpiria. —
Quæ curavit oves vigilans, oviumque Magiſtros,
Vinſoriæ Domina, & Cuſtos Divina, receſſit
E Vita exanimis, crudelibus occubat Umbris;
O Parcæ immites! O Numina neſcia flecti!
Thyr. Illius ergo oculos jam ſomnus ferreus urget!
Inque leves abiit Cœleſtis Spiritus auras!
Nec *Te*, Diva Parens, nullos temerata per annos
Pura Fides, nec Juris Amor, nec mixta Pudori
Illuſtris Pietas, neque ſacri Fœdera Lecti
Incorrupta, Orci eripiunt de faucibus atris!
Eheu! ſæpe Deos in vota vocavimus omnes,
Atque Aras noſtris ab ovilibus imbuit agnus
Sæpe tener, dedimus non raro Thuris odores,
Ut ſit Tarda Dies, & noſtro ſerior ævo,
Qua Regale Caput, nunc mœſtos linqueret agros,
Expeteret Cœlum, agnatis Seque adderet Aſtris;
Flectere ſed Superos nec Vota aut Thura valerent.
Cor. Quando erit Illa Dies, Infauſta *Britannia*, cum Tu
Invenies Illi ſimilem virtutibus ullam?
Illa lupos procul infeſtos arcebat Ovili,
Intermiſſa diu & Paſtoribus Otia fecit:

Hujus ob Interitum, Pecudes balatibus agros
Implent; atque cavæ Rupes, Sylvæque loquuntur
Damnum Ingens; Illam ſenſit Natura labantem.
Aufugit procul effuſis ſine lege capillis
Ipſa *Pales*, triſti recubans Montiſque ſub umbrâ
Longe hinc disjuncti, vocat Aſtra Deoſque feroces.
Naiades unà abeunt, Nympharum & Cætera Turba,
Quarum turgiduli lacrymis implentur Ocelli;
Alba magis nivibus feriunt en pectora palmis!
En Diris onerant lethalia Spicula Fati
Auſa Nefas tantum! Illimes fonteſque relinquunt,
Queis lauro aut myrto finxere umbracula, ab æſtu
Phæbeo; Noctiſque Domos, cava Saxa requirunt,
Nec finire ſuos cupiunt niſi morte Dolores.
Thyr. Ah! memini, *Corydon*, ut nuper vecta ſonanti
Curru, per Sylvas iſtas, hæc pinguia Rura,
Nympharum comitante choro, Regina fugaces
Et Cervos, Leporeſque agitavit; multus in auras
Itque reditque canum latratus; rettulit Echo
Voces, & *Thameſis* ripæ, & nemus omne remugit.
Haud ignota loquor, nam vomere ſæpe relicto
Ivimus, & paſſu veſtigia preſſimus æquo
Venantum; tunc Ora Deæ licuitque tueri,
Quæ vultu Nymphis effudit verba ſereno,
Immo aliquando loqui vel Nobis blanda ſolebat;
Hæc tamen, *O Corydon*, poſtquam *Illam* Fata tulerunt,
Quàm meminiſſe piget! nunc Odi hæc gaudia Ruris,
Et Dolor has Sedes infandus linquere cogit.
Cor. Ibimus, O Socii, Regale inviſere Buſtum,
Purpureoſque illic Flores, & Lilia demus
Mixta Roſis; capiat Dona hæc extrema Suorum
Chara Anima, & parcat nobis, dum Munere inani
Fungimur; hæc Mœſti faciamus ritè quotannis;
Illam Hic ſemper Honos, at Nos Dolor uſque manebit.
Alex. Vos Lacrymas cohibete precor, neq; Pectora Luctus
Immodici exedant, ſunt *Illi* haud Talia curæ:
Corporis Exuvias pretioſa amplectitur Urna,
Parte tamen meliore Sui ſuper Aſtra perennis
Fertur, & Illuſtris nunc facta eſt Incola Cœli,
Quo ſuperis immixta Deis jam Nectaris hauſtus
Delibat plenos, intactæ Præmia vitæ.
Quamvis *Diva* abeat, tamen eſt Qui præſidet agris,

Quique

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Quique bonus curabit oves, oviumque Magiſtros:
Ramo uno avulſo, non deficit Aureus alter,
Et dirupta pari frondeſcit virga metallo.
Surgite Vos alacres, lauroque intexite crinem,
Fiſtula depellat mœrenti à pectore curas,
Formoſæ celebrent agiles Nymphæque choreas,
Atque Novo *Pani* meritos præſtemus Honores.

Jo. Wilder A. M.
Coll. Pemb. Soc.

QUis Lyræ multum ſtudioſus ANNAM
Scribet inſertam numero Deorum?
Quis Modos condet, quibus invidebunt
Sæc'la nepotum?
Sive compôſtum memorabit Orbem
Pace manſurâ, Sociaſque Gentes;
Sive *Gallorum* vice plus fugatas
Simplice turmas:
Sive cœleſti Pietate dicet
Nobilem majore Poeta plectro,
Et ſuum magnis Decus arrogatum
Templaque Divis.
Me *Tui* ingentes vetat, ANNA, Laudes
Impari Verſu tenuare *Clio*;
Nec favet Muſam prece ſuſcitanti
Lævus *Apollo*.
Quod licet, Flores, puer, huc caducos
Affer, & Lauro appoſitas Olivas;
Non pii Manes Lacrymis, nec atrâ
Fronde carebunt.
Næniis nunc eſt locus & Dolori,
Dum finit tempus breve; mox reducet
Gaudium & Ludos properans *Sicambris*
Cæſar ab oris.

Johannes Baylye ex Æde Chriſti,
Sup. Ord. Commenſ.

HEU! quæ *Te* ſubiti rapit Inclementia Fati,
ANNA Parens Patriæ! cum jam felicior ætas
Surgeret, & Populus *Tecum* nova gaudia Sæc'li
Tranquilli ſperaret, ovantes Pace *Britannos*
Linquis, pacatumque Tuis Virtutibus Orbem.
Quid nunc illa juvat tantarum gloria rerum,
Aut jucunda quies, aut quas habet *India* gazæ
Per *Te* recluſæ, vel pleno Copia cornu?
Te ſine dulce nihil. Vos O! miſereſcite Gentis
Angliacæ, Superi, Reginam reddite, gratum
Reddite conſpectum; nobis auferte recentes
Heſperii Orbis Opes, & latis Otia terris,
Securoque freto: ſi tanti Munera conſtant,
Reddite Equos, atque Arma, decenniaque Altera Bella.
Sed quid Vota juvant? inflecti ignara precando
Fata obſtant. Attolle caput ſatiata dolendo
Albion; En! optata tuis Solatia Curis,
En! Regum Soboles *Stuarti* Nominis Hæres,
Non impar triplici Sceptro, ad tua litora tendit
GEORGIUS, *Angliacâque* Suum rate dividit Æquor.
Non *Illo* Cuſtode Tui fera bella per orbem,
Civileſve manus metues, Hoſtiſve futuri
Inſidias, vanaſque Iras: Furor impius oris
Sæviet ignotis: *Illo* ſub Præſide pura
Relligio, & terris Libertas nota *Britannis*
Florebunt, & longa Quies: Tua Regna beabunt
Auriferæque rates, & læti frugibus anni.

Tho. Skeffington Armig.
E Coll. Oriel Sup. Ord. Com-

PAcifici frontem *Jacobi* cinxit Oliva;
Ornavit *Carolum* Relligionis Amor:
Militiæ Laudes, & ſævos Martis Honores,
Genti quod ſolum defuit, ANNA dedit:
Jamque *Stuartiadûm* cumulata eſt Gloria; Majus
Non dare propitii Dii potuêre Decus.
Quid gemis Abreptam? Ulterius nihil, *Anglia*, reſtat,
Quod vel dent ANNÆ Fata, vel ANNA Tibi.

Edmundus Colmore Armig. Fil.
Aul. Magd. Commenſ.

Ωλε῀ νεῶ Αννη, ἔρχος μέγα πατρίδος αἴης,
Ωλε῀, ἣ πάντεσιν ἐφ' ἵμερον ὧρσε γόοιο·
Μῶσα, φίλῃ κεφαλῇ γοερὴν ἔντυνον ἀοιδήν,
Μώσας γὰρ φίλεεν, πεφιλημμένη ἔξοχα Μώσαις·
Τίε῀ μὲν βασιλεῦσι, θεὸς ὡς τίε῀ δήμῳ,
Οππότε γὰρ βυθὸν εἰσήλυθεν, ἢ ἀνὰ ἄστυ,
Λαοὶ ἀγαθέμμονοι, ἀμφ' ἄρμασι δ' ἔγρεθήλε
Ενθα καὶ ἔνθα πέτοντο, ἀγαλλόμενοι μέγ' Ανάσσῃ.
Πολλοὶ μὲν ξεῖνοι, πολλοὶ δεῦρ' ἦλθον Ανάκτων
Αγγελοι, οἵτ' Αννῃ θηεῦντό τε θαμβησάν τε
Καλὴν αἰδοίην τε, μάλιστα δ' μήδεα πυκνὰ
Καὶ νόον ἐσθλὸν ἔχουσαν ἐν εἰδυίῃς φρεσπίδεσσι·
Καὶ τότε μὲν Βρετανοὶ μέγ' ἐγήθεον εἰσορόωντες.
Νεῶ δ' αὖτ' αἰζηοὶ θαλεροὶ, πολιοί τε γέροντες,
Αλλήλοισιν ὀδυρόμενοι, κλαίουσιν Ανασσαν.
Ερχε῀ εἰς ἀγορὴν λαὸς τετιηότι θυμῷ·
Παρθένος, ἀμφίπολος Αννης, ἄτερ ἕζε῀ ἄλλων
Σιγῇ, ὀρχηθμοῖ τέ μιν ἵμερος ὤλετο τερπνός,
Εἵματα καὶ γλυκερὴ δεύονται δάκρυσι κόλποι·
Αννη γὰρ, Βρεταννῶν κλέος, ἐν λεχέεσσι θανεῖσα
Κεῖται, βυσσόων τε λελασμένη, ἠδὲ χορειῶν.
Οξυνίη κλαίει, ὅτι τε συναχθὸς ἱερῆες·
Πόλλ' ἔθελεν τεμένη θεᾶς βωμούς τε θεοῖσι,
Καί νύ κεν ἐξετέλεσσ'· ἀλλ' Αὐτὴ μοῖρα δάμασσε,
Καὶ φθιμένη μέγα ἔργον ἐλείπετο ἡμιτέλεστον.
Κλαίετε αἰχμηταὶ, μνήσασθέ τε θείοιο Αννης·
Αὐτῇ ὀρινόμενοι ἀμφ' ἔγχεα ἐς βέλε' ἀνδρῶν
Στείχετε, ἐς δηΐων ἔναρα βρυτόεντ' ἐφέρεσθε
Οἴκῳ ἐν ὑμετέρῳ κρεμόωντες. Κλαίετε ναῦται,
Οὓς ζέφυρος μακρὸν φορέει ἀπὸ πατρίδος αἴης·
Υμῖν μὲν γὰρ ἔδωκε πλέειν ὅτι οἶνοπα πόντον,
Η ἐς ἀκυδρόως τάδε νείατα πείρατ' ἰῶσι
Γαίης, ἐνθάδ' ἄγφι χρυσὸν πολιόν τε σίδηρον.

 Ω πόποι,

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Ω πόποι, ὦ Θάνατε Βρετανοῖς κακέ! κάτθαν' Ελιζα,
Κάτθανε Μαρίη Ἡπειρελῳ ἀθανάτοισι,
Κάτθαν' ὅμως Αννη, ἥτις σφὶν ἔτε χερείων
Οὐ φρένας, ἔτε φυλὴ, ἔτ' ἄρ θεικαλλέα ἔργα·
Αλλὰ κὴ ὡς θνήσκῃ, κὴ ἐν κονίῃσι μιγείσῃ
Οὐ σκῆπτρον χεσμεῖ, ὐδ' ἀγλαὰ δῶρ' Αφροδίτης.
Η κεν πενθήσαι Δᾶνῳ, Δάνοιό τε παῖδες,
Εἰ δὲ κασιγνήτης Αννης πεπυθοίατο πότμον·
Πενθεῖτε, Βρετανοὶ, (μάλα γὰ πένθος πρέπῃ ὔμμιν)
Στήσατε κάλλιστόν τ' ἐρικύδεϊ τύμβον Ανάσσῃ·
Καὶ ποτέ τις τύμβῳ παρεσὰς, πολέμους τε μάχας τε
Λέξει κυδιόων, κὴ ἄεθλον μνήσε) ἀγρῦ
Βλεννεμίου, ὅτι μὴ πολλοὶ ἄνδρες τε κὴ ἵπποι
Κάππεσον ἐν ποταμοῖσιν, ἑλισσόμῃοι κτ' δίνας·
Ορκια πόλλ', ἅτε πάμνε μετ' ἀλλοδαποῖσιν ἄεισα,
Μνήσεται· ἀλγήσας τε φίλοις ἑτάροισιν ἐνίψῃ.
Αννης μὴ τόδε σῆμ', ἢ πολλὰ κὴ ἐσθλὰ ἔοργε,
Αασ' ἔσεται κύδιστα κὴ ἐσομήνοισι πυθέσθαι·
Ενθάδε νεῶ γαίῃ κτ' ὀστέα λευκὰ καλύπτει.
Ως ποτέ τις ἐρέει, ἑτάροισί τε πένθος ἐνόρσῃ,
Αννης γὰ κῦδος, πόθος Αννης ἔπετ' ὀλέσθαι.
Αλλὰ τέως, Βρετανοὶ, συγερῦ παυσώμεθα κλαυθμῦ·
Η μὴν Βρετανὺς ἐφιλήσατο πότνια Αννη;
Η ἐχ ὑμᾶς φιλέεσκε Γεώργιος; ὔμμιν ἀνάσσει,
Καρπιος μὴ Κεῖνος ἀνάσσει, ὃς Βασιλίασης
Χήτεϊ τοιαύτης νέον αὖ χάρμ' ἔσεται ὔμμιν.
Ως ὁπότ' εἰλυται νεφέλαις κατὰ δῦσα Σελήνη,
Σκίδναν) δνοφερὰ ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν ὀμίχλαι·
Ηέλιος δ' ἠῶθ' ἁπ' ἀγαρρόου ὠκεανοῖο
Παμφαίνων ὀρώρεϊ· ὀδίτης τε φρένα γηθεῖ.

Ludovicus Stephens A. B.

Ædis Chriſti Alumnus.

CHordas lætiſonas hinc aliò ferant
Venti præcipites: flens, Dea, concine, ut
Improviſâ necis Vis rapuit breves
Sæc'li Delicias ſui.
ANNA, in Quâ *Britones* viximus, Occidit!
ANNAM, Quæ Populis & Decus, & Salus,
Et Spes, heu! nimiùm Sors mala miſcuit
Umbris triſtè ſilentibus:
Quæ, ſi quid Pietas flectere tetricas
Divas, ſi facilis quid Decor Ingenî,
Si Mores poterant, aut Pudor, aut Fides,
Nunquam debuerat mori.
Ut Sortes hominum *Jupiter* ordinat
Alternis vicibus! quæ redeuntibus
Annis, adproperant! Triſtia ſuavibus
Cedunt, ſuavia triſtibus!
Laurus ſanguineas ut modò vidimus
Mutatas Oleis! Hæc dedit Otia
Feſſis ANNA Suis; Quæ repetens Polos
Secum cuncta tulit Bona.
Quò, Dilecta Deis, quò fugis? ah! licèt
Sat Famæ propriæ, ſat *Tibi* vixeris,
Nobis haud ſatis, heu! *Te* Prece flebili
Incaſsùm revocantibus.
Sic *Te* præproperâ, *Carolidûm* Ultima,
Traxit Parca manu? Siccine ſæviit
Immitis? Facilem credideram fore
Exemplo *Lacheſin* Tuo.
Non ſic Diis placitum: Dii ſua Pignora
Reginam retrahunt, forſitan invidi,
Ne, ſi Sceptra geràs, ANNA, diutiùs,
Sit felix nimis *Albion.*
Atqui en! nunc Tenebræ diffugiunt; caput
Undis nunc rutilum Sol novus exerit;
Sparguntur Nebulæ; ridet amabili
Felix ore *Britannia.*
Poſt Luctus meritos, Lætitiam, dare
Unus Qui poterat, GEORGIUS exigit;
Dimiſſas abigunt Gaudia Nænias,
Te, Cæſar, Duce, & Auſpice.

At quæ Sceptra vocant, *Maxime Principum,*
Tu longùm teneas: *Angligenis* Decus
Immortale Tuis; Gentium & Arbiter,
Quà Sol Orbe calet novo.
Orbos ANNA Toros, & Sobolem brevem
Flevit; Progenie *Te* Superi beent
Felicem uſque novâ. Quid ſupereſt? Tuis
Illos annumerent Dies,
Quos ANNÆ abſtulerint. Lux quoties redit,
Hoc Divos Populus non Prece ſimplici,
Hoc Vates rogat. O! Numen amicius
Votis annue Publicis.

Rich. Grey Coll. Linc. Schol.

Ad Navem REGEM *vehentem.*

O! fauſta Navis, Te pelagi Dea,
Paterque ventorum regat *Æolus*,
Quæ *Cæſarem* portas, *Britannæ*
Præſidium Columenque Gentis!
Ne Te moretur, quæ Tibi creditum
Heroa debes, turbidus Africus,
Non æquoris turgentis Æſtus,
Non *Hyades* pluviam ferentes.
Utcunque Ponto diſſociabili
Olim remotam *Jupiter Angliam*
Abſcidit; haud tangenda celſæ
Æquora tranſiliunt Carinæ.
Subduxit ignem ſydereâ domo
Audax *Prometheus*; hinc nova Febrium
Defluxit in terras Caterva,
Indomito comitata Letho.
Hinc ANNA Sacrum ponit humo Caput
Direpta Regnis, nec Querimonias
Exaudit, aut Planctus *Britannûm*,
ANNA, gravi moriens Veterno.
Qualem Triumphum Mors agit invida!
Lugent ademptam *Pierides* Deam,
Piaſque defunctæ Parenti
Inferias *Rhedycinæ* ſolvit.

At Tu, Triremis, non dubiam advehis
Genti Salutem: Litoribus Ducem
Depone noſtris, I, *Stuartûm*
Progeniem *Angligenis* redona:
Sic nec Procellas, nec Rabiem Freti
Horrebis ultra; ſede ſua lubens
Recedet *Argo*, & mox *Britannam*
Ipſa reges Nova Stella Claſſem.

Ric. Dalton è Coll. Reg.
Sup. Ord. Commenſ.

DIva, jam Leſſum propera; Lyramque
Flebilem tangens, cane luctuoſa
Fata Reginæ, viduæque Gentis
Pinge Dolorem.
Cernimus Luctum populi decentem;
Cernimus mœſti Lacrymas Senatûs:
Civibus miſtus Peregrinus ANNÆ
Funera plorat.
Quæ Choris quanquam, Calathoque lævi
Aptior; fortis tamen, horridumque
Suſcitans Bellum, didicit minacem
Spernere *Gallum*.
Spiritu non Fœmineo cohortes
Vicit *Hiſpani* tumidas; nec expers
Conſilî, *Scotum* ſociavit æquâ
Lege *Britannis*.
Volvet Annales gravidos Triumphis;
Audiet pugnas *Britonum* Juventus;
Audiet Reges animis feroces,
Fœdere junctos.
At licèt multæ coluêre Gentes
Aſperam Bello, Mediamque Pacis
Te: licèt famâ volites per orbem;
Occidis, ANNA.
Nec *Tibi* prodeſt Diadema fulgens,
Nec Modum tantis poſuiſſe Bellis:
Quin Caput quondam nitidum Coronâ in
Pulvere ponis.

At

Quem Virum quærant *Britones* ruentis
Patriæ rebus? Venias, precamur;
Tradimus Sceptrum *Tibi* deſtinatum,
Maxime GEORGI.
Tu dabis leges Populo Volenti;
Serviet Pubes *Tibi* bellicoſa;
Quos agent clari *Britones* Triumphos,
Te Duce, *Cæſar*?
Impera latis Dominator undis;
ANNA Cœleſtes micat inter Ignes,
Et *Tuas* ſemper reget auſpicato
Sydere Claſſes.

Lionel Walden, ex Æde Chriſti,
Sup. Ord. Commenſ.

AUfugis Immoto heu! nimiùm Dilecta Tonanti,
Et piget Ingratum *Te* tetigiſſe Solum.
Nos rapimur ventis, cæci Ludibria Fati;
Litore compoſitâ pace potita ſedes.
Deſpicis hinc trepidam Gentem, motoſque Tumultus,
Plebis & Incertæ murmura rauca doles.
Quæ modo mirantem decoravit lampade Mundum
Occidit, & ſpiſſâ nocte adoperta latet.
Fundit inexhauſtos Dejecta *Britannia* rivos,
Byblis ut irriguas ficta madere genas.
Sic, poſtquam *Heſperiis Phœbus* ſubmergitur undis,
Solvitur in lacrymas *Perſica* Terra novas.
Elyſii circa Valles, & amœna Vireta
Ambulat umbroſis ANNA coruſca locis:
Quam fovet alma Quies, & non temeranda Voluptas,
Saucia nec Curis, quas Diadema dedit:
Dum tenerum *Aſcanium* notis amplectitur Ulnis,
Multaque dat Mater Baſia, multa Puer.
Sic viduata diu charo *Cëyce*, Marito
Avulſo, *Alcyone* vivere poſſe negat.
Quæ regio in terris Tali datur Hoſpite digna?
Hoſpita Tecta patent Sydera ſola Deæ.
Urna tegit Cineres: Melior pars æthera ſcindens
Libera Nativos ardet adire Polos.
Anglia, parce queri: Moritur Regina; Triumphos
Nunc agit Angelicis Clarior ANNA Choris.

Thomas Tooly A. M. Coll. Di. Jo. Bapt. Soc.

EN! clauſo tandem poſt longa Decennia *Jano*
Quales venturos Cœli ſperavimus Annos!
Dum ſacrâ Lauro placidâque Inſignis Olivâ
Leges, ANNA, dabas! At non heu! Ramus Olivæ
Non Laurus diram poterant avertere Peſtem.
Ecce Caput, Noſtris ſolitum ſuccurrere Rebus,
Torpore obductum Morbo ſuccumbit inerti!
Quæ certam ægrotis porrexit Dextra Salutem,
Tabidaque arcebat Sacro Contagia Tactu,
Heu! nunc Ipſa gravi languet correpta Veterno.
Nequicquam Medicas explorant gnaviter Artes
Pæonii Fratres; Morbus non Arte levandus
Sollicitam indignatur Opem, Succoſque potentes.
Vos, quibus Imperium eſt, Proceres, afferte dolenti
Solamen Patriæ; Vobis orbata Parente
Anglia ſe credit, Virtute innixa Suorum.
Haud ſecus emenſo cùm Sol perfecerit orbe
Curſum, & cœruleis ſe feſſum merſerit undis,
Collucent cœlo radiantia Sydera, & Æthram
Accendunt Ignes, *Titane* cadente, minores.
Quid verò lugent *Britones*, & inania Divæ
Dona ferunt Lacrymas? En! ANNA aſcripta *Stuartûm*
Ordinibus patrio felix incedit Olympo.
Occurrunt magni, Bello qui vulnera paſſi
Ob Patriam cecidêre, Duces; juvat ora tueri,
Et ſaliente novos meditantur corde Triumphos.
Irruit, & gremio Regalis *Cimber* aperto
Excipiens Avidis Conſortem amplectitur Ulnis,
Non iterum duri metuens Divortia Lethi.
Glovernus patulis Agmen Puerile viretis
Exercens, Pugnæque ciens Simulachra ſub armis,
Dimiſſis belli Sociis, charæ oſcula Matri
Præripit, atque animum vultu depaſcit amato,
Multa ſuper Patriâ rogitans, quos Illa Triumphos
Egerit, & Solio Quis nunc ſuccedat Avito.
Hunc ſaltem, rigidi ſeu cæca Pericula Belli
Tentet, ſeu placidus jucundâ Pace fruatur,
Dii, ſervate Virum; longum dominetur in ævum
Angliacis; En! *Ille* Solum Natale relinquit
Ludoſque Plauſuſque ferens, lætoque rependit
Adventu præſens abreptam GEORGIUS ANNAM.

Sic Hominum Primus ſero ſub veſpere Solis
Vidit ubi Occaſum, Lucem ploravit Ademptam,
Flevit & æternas obductâ nocte tenebras;
Donec Sol Oriens, aliuſque idemque renatus
Diſperſit triſtes Umbras, Orbemque retexit.

Georgius Villiers A. B. Ædis Chriſti Alumnus.

VOS O! Relliquiæ Sacræ, Cinereſque colendi,
Ad Tumulum (cauſam Lacrymis) ſine Crimine detur
Siſtere, ut extremos inter Suſpiria longa
Eliciam Queſtus, & Verba Noviſſima fundam:
Ore rudi quamvis canimus, Dolor ipſe Diſertos
Efficiet tamen, & Pietas dabit ipſa Poetam.
At Vos, O! Superi, quo Pænam Crimine tanto
Hanc *Britones* meruêre, & quæ Perjuria Vobis
Vindicibus commiſſa luunt? Haud ſcilicet Iræ
Suffecit Veſtræ, quod tot renovavimus acres
Bellorum Scenas, toties & Sanguine noſtro
Majorum Sceleri, *Carol*ique litavimus Umbræ?
Quin iterum nudanda novo ſunt Vulnere priſca
Vulnera, & abrepta eſt Hæc Ultima Gente *Stuartâ*
Fœmina, ſed Claræ non Ultima Gloria Gentis?
Deliciis Populique olim moriente *Gloverno*
Aurea non iterum frondeſcit Regia virga?
Hoc nimium; hoc poſſit facilè excuſare dolentis
Effrænes Animi ſaltus: penituſque ſit (unum
Perfugium miſeris) noſtris ſpes rapta Querelis,
Ni Fata oſtendant, referat qui Laudibus ANNAM,
Germanum LODOICEM; *Hic* eſt, Quem ſæpius audis,
Anglia, promitti: En! video reditura Metallo
Sæc'la pari, & lapſis felicia Tempora Rebus:
Oceano qualis radiantis Tela Diei
Aſpicit immerſa, ac longùm ſub frigore Noctis,
Tramitis ignarus, calcat Loca mœſta Viator;
Dum Stella Auroræ gratos prænunciet Ortus
Rubrior, æqualem Solem ductura Priori.
Salve igitur, Venerande Hoſpes, quem Patria natum
Ægrè dimiſit Sceptra ad majora, nec ullo
Patria ſe tanto Tellus jactavit Alumno;
Te *Brito* Civis amet, quantum ANNA extincta doleri
Debeat.

Sed

Sed vaga Muſa, Modos tenues ac lugubre Carmen
Pollicitata, redi, & Divinæ *Principis* udo
Attingas Mores Calamo: Scis, *Illa* remotam
Quam longe à Culpis egit bene conſcia Vitam;
Scis, quali *Illa* Bonos dignata eſt ſemper Honore,
Atque *Eadem* ſontes quàm miti puniit Irâ;
Scis etiam, ut Curas Matris deſcendit in omnes
Omnibus ut proſit, *Romani*que æmula magni
Prætulit elatis Titulis Cognomen Amoris:
Quid loquar egregias Dotes, Animumque Virilem
Fœmineâ ſub Fronte, & perſuadere paratum
Eloquium, Vultûſque gravis Decora addita Verbis!
Quid loquar, ut Lauros Vitaï parca Suorum
Contempſit, duxitque Nefas meruiſſe Triumphum!
Arma quidem, Nobis non infeliciter, olim
Sæpe tulêre Viri; ſed Pacis Munera ſola
Fœmineâ donanda Manu; *Regina* negatam
Præripit hanc cunctis Palmam; Tuque, *Inſula*, creſcis
Hinc magnam in Laudem, & facta es pulcherrima rerum:
Cernis, ut importet gemino diviſa ſub Orbe
India Divitias, ut amica *Hiſpania* fruges
Effundat varias, Gens Uvarumque Cruorem
Galla, ſuum redimens! procul hinc, procul ite, *Britanni*,
Pocula non Tempus poſcit; quis ſumere nequam
Audeat, haud ANNÆ deinceps libanda Saluti!
Illam etenim Populo, nimium cum læta veniret,
Invidit Fortuna ſuo, ne Regna videret
Fauſta diu, & penitus civilem ſterneret Hydram
Seditione Caput varium fœtam. Hei mihi, quantum
Anglia Præſidium, & quantum *Tu* perdis, amica
Regibus, & charæ *Rhedycina* fidelior ANNÆ!
Tune *Parens* igitur *Patriæ* memoranda, profano
Vix diſcreta jaces Vulgo, & ſortiris Honores
Non alios, Tumuli quàm Nomen inane caduci
Quos dabit, aut citius perituræ Gratia Muſæ?
At quæ mœſta poteſt Tibi Munera Muſa ſacrabit,
Flebilis atque *Iſis Tibi* ſerviet omnibus Undis.
Fas equidem Proceres, *Thameſinâ* nuper in Urbe,
Et Magnos Pompâ Funus Regale ſilenti
Ducere, & Officium propiùs celebrare Supremum:
Hoc leve; ſed Noſtri comitantur paſſibus æquis
Singultus, Animis Procerum neque cedimus ulli:

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Æternùm hærebunt ſævi Monumenta Doloris
Mentibus; hæc, *Princeps*, in Pectore Mauſolea
Extruimus *Tibi* Quiſque ſuo, non ante Ruinam
Tractura, humanâ tandem Compage ſolutâ
Quàm Mors & noſtras Regumque æquaverit Umbras.

Joh. Rayner A. M.
& Coll. Linc. Soc.

Ἐξελε τὼ Κλώθω Βασίλιοσθν φαίδιμον Αννλω,
Οὐαὴ τοῖς Αγγλοις· ὡς ἄνθεα καλ' ἐμαραίνθη,
Καὴ ταχύποτμα τά ἔξιν ἃ τοῖς τεπόθητα βεβτοῖσι.
Δεινὴ ἀνάγκη ἐπεὶ ταύτη ἐνέθησε βαρείη
Ημᾶς τῇ βλάβῃ, πόσα μυρία ἄλγε' ἔθηκε;
Πολλὰ μελάγχλαινοι μάλα ἄϋλινα πάντες ἔκλαγξαν,
Τὼ κοινὼ ἄτιω ἔα πένθιμα γράμματα λαλεῖ,
Καὴ πάντες δ'εἰκυσιν ἀποβληθέντα θεόσωπα.
Εὐρύπιμος κορυφὰς ἀρετῆ ἀπὸ Αννα δρέπεαζ
Ιδρις ἔλιω, κὴ τ' ὃ μέγαν καταπέπεμφ ὄλβον.
Τὸ σκῆπτρον πάσας ἀρετῆσι κεκαομένον ἴχων
Σιὼ ὃ δίκη τὰ ἔκασα διεῖπε, κὴ ἔξοχ' ἔλαμπε.
Βορεονίᾳ ὑπερφανίαν (μέγα πῆμα Βρεταννοῖς
Η θεότερον μ' ἔλιω) ὑπέβαλλε, & δῦδιον αἶα
Εἰρλώης ⟨W⟩ ἔδωκε χεῴνον, & ὄλβια πάντα·
Αλλὰ τάχ' ἤτοι ὀψὲ κιχάνει πάντας Ολεθρος.
Νιῶ ἄλλᾳ κλέος οὐκ ὀλίγον Βασιλῆος ὀπηδεῖ·
Αξιος ἀμβαίνει θρόνον ὃν κατελείψατο Αννη.
Εὐκτόν δ' ἔξι πάνυ ⟨S⟩ Νέσορος ὄφελε γεραίᾳ
Τὰς ψυχὰς ἀπαπλήθη. Οπᾳ γὼ τέκνομ' Αναχτος
Οὐ διέλαμψε; Σέβας θεῖον τ' θυμὸν ἰκέαζ
Αιεὶ δῆλον ἔλιω. Εντεῦθεν, Σὺ μόνε, πένθος
Αγγλιχθύεσι παρὲν μινύθη, & ἀπώθεμθ ἄτιω,
Ω μέγα δυύαμθε, γνωείζεις πλόθεν ἡμῖς.

Thomas Bowles

Coll. Magd. Semicom.

ICTA crudeli *Rhedycina* fato,
Æqua quæ Tanto Monumenta Damno,
Quæ Tuo pones Monumenta luctûs
Æqua Dolori?
Exeras, quicquid Lyra triſtè lugens,
Flebilis quicquid poterit Camœna:
Non levis Planctus *Rhedycina* raptâ
Te decet ANNA.
Iſidis Sedes, humileſque Ripas
ANNA dilexit, Gremioque dulces
De Tuo fuſos propiore curâ
Fovit Alumnos.
Seu Patres Sacrâ redimire Mitrâ,
(Nomina æternæ benè nota Famæ,)
Imperî ſeu quem voluit regendis
Tradere Rebus.
Hoſtium cæcam Rabiem Tuorum
Contudit, Templorum animoſa Vindex;
Hydra nequicquam rediviva ſuetas
Crevit in Iras.
Exteris finem dedit ANNA Bellis,
Languido Pacem revocavit Orbi,
Juſſit & Muſas ſtudiis vigere
Nobilis Otî.
Sic ubi frondes placidas Olivæ
Extulit *Pallas*, doluitque vinci
Æquoris Rector, Sibi protegendas
Cecropis arces
Ocyùs ſumpſit *Jove* nata Virgo;
Numinum ad cœtus rediit triumphans,
Et Suam gratæ coluêre Divam
Semper *Athenæ*.
Parce ſed tandem Gemitu & Querelis,
Ecce! non Impar, *Rhedycina*, ſurgit,
Et Tibi avulſam reparat benignè
GEORGIUS ANNAM.

Bedingfield Atterbury

ex Æde Chriſti, Comment.

QUot Signa læſi conſcia *Cæſaris*
Dixêre Fatum! Prodigii frequens
Horror, laboranteſque Mentes
Perpetuum timuêre Monſtrum.
Nunc Æra ſudant, mœſtus Imaginum
Ordo, & ſoluti lacryma Marmoris;
Nunc *Tibris* hæret, dum repreſſæ
In cumulum glomerantur Undæ.
Fallor? Recurſûs an ſtetit immemor
Amnis *Britannûm*, murmuraque edidit
Devotus ANNÆ? — Sed verendos
Erigit, irriguoſque Vultus
Mœſtùm elocutus fata levantibus
Utrinque Divis: Occidit, Occidit
Inſignis ANNA; Eheu! labantes
Spes *Britonum*, facileſque tolli!
Quantus gementûm in funere lugubri
Productus Ordo! Quis Procerum Labor!
Ergo hâc aquoſâ Omnis cavernâ
Inſtituat pia Nympha Pompam.
Delata in ævum Gloria conſtitit
Eliſæ, *Iberos* Fœmineâ manu
Olim repellentis: Lacuſque
Cærulaque inſonuêre Regna.
En! ANNA latè Nomen in ultimas
Extendit Oras, quà caput occulor:
Dum pulſus Hoſtis, dum laborat
Plurima ab *Auſtro* onerata Navis.
Sed tanta Rerum culmina vidimus
Proſtrata longùm! Sic humero arduus
Succumbet *Atlas*, & Ruinas
Præcipites operoſa Moles
Protendet olim. Præſidium ruit
Heu! noſter *Atlas* — At Sacer *Hercules*
Pondus reſumit, Par Labori
Subveniens, Animoſque reddit.
Ergo *Britannûm* Numina GEORGII
Curſum ſecundent, per freta Navitæ
Illuſtris, & Venti faventes
Vota ferant, placidamque Curam.

Dixit.

Dixit. Tumultu fervere Numina
Cœpêre, magni conſcia Muneris:
Nunc ſiſtit, impellit, Ratemque
Protegit Officioſa Turba.
Dum *Carolina*, O lubrica conſpici!
Oſtro reclinis pandit amabilem
Vultu Decorem: Sic per undas
Explicuit *Cytherea* Formam.
Nymphæ frequentes ſollicitâ premunt
Dextrâ capillos, brachiaque implicant
Baccis: Marito dum caleſcit
Flamma Nova, & ſubit acris Ardor.

Gul. Ball è Coll. Reg. Sup. Ord. Commenſ.

HOrrida nequicquam *Martis* defervuit Ira,
Et Belli ſiluêre Minæ, *Libitina* ſerenæ
Gaudia turbavit Pacis, victique dolore
Spes *Britonum* extinctas, & raptos flemus Honores.
Tu *Cujus* toties ceciniſti, Muſa, Triumphos,
Reginæ jam Fata refer, triſtique Querelâ
Infelix modulare pios in Funera Verſus.
En! jacet æterno lethi devincta ſopore,
ANNA Decus *Britonum*, Virtute Illuſtris & Armis.
O nunquam lugenda ſatis! *Te Belgia* plorat
Præſidio viduata ſuo, Gemituque frequenti
Te poſcit, quali Fatum morientis *Eliſæ*
Deflevit quondam, nec enim minùs ANNA *Batavûm*
Labentes ſtabilivit Opes victricibus Armis.
Te fontes *Iſtri*, tumido *Te Sequana* rivo,
Te mœſtæ plorant *Gades*, Portuſque *Sicani*.
Præcipuè ingenti turbata *Britannia* Damno
Ingemit, & Lacrymas nequicquam effundit acerbas.
Jam ſubit Auguſtæ mitiſſima frontis Imago,
Jam Voces placidæ, & jucundi Gratia Vultûs
Crebros accendunt queſtus; Illa omne recuſat
Solamen, Defiderio perculſa Fideli.
Sic olim *Auguſtum*, lætus Cui paruit Orbis,
Mœrebat, pia *Roma* Suum; ſic Principis Artes
Pacificas, Animumque pium, Moreſque benignos
Ploravit memorans, fletum *Tiberinus* ab undis
Rettulit, & concuſſa imo Capitolia ſaxo.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Tu tamen immodicos compeſce, *Britannia*, Luctus,
Supprime Singultus; Solio ſuccedit Avito
GEORGIUS, haud ulli Proavûm virtute Secundus,
Stemmate Regali cretus, *Cui* Tempora *Buda*
Victrici cinxit Lauro, *Cui* vivida Virtus
Pectora firmavit, primiſque effulfit ab annis.
Senſit *Danubius*, fugitque exterritus amnis,
Cùm trepidas acri pepulit Certamine Turmas
Imperio jam digna Manus; Tibi, *Turca*, Tiara
Intremuit, tremuêre fero commota tumultu
Mœnia *Byzantî*; Juvenis mirata Triumphos
Obſtupuit, meritaſque dedit *Germania* Laudes.
O Patriæ, O ingens Generis Decus! Inclyte GEORGI!
Magna *Caledonio* Soboles dimiſſa *Jacobo*,
Bello & Pace potens Heros! cape Sceptra *Britannûm*
Par Animo Imperium; *Te* lætâ voce Senatus,
Te Populus dudùm poſcit; pete Litora fatis
Conceſſa, & Tua dexter adi pede Regna ſecundo.

Herbertus Randolph
ex Æde Chriſti Commenſ.

QUiſnam Heros? Tanto Quem læta *Britannia* cultu
Excipit, & Pompas, Quo veniente, ſtruit.
Quis Deus Hic? geſtit Quem quæque ornare Camœna,
Quem dignè ut celebres Tu, *Rhedycina*, paras.
Te, GEORGI, agnoſco, præſens Tutela *Britannûm*,
Te, GEORGI, longo ſanguine nate Deûm.
Te, Quem, ANNA avulsâ, nutantia Septra tueri
Jure Tui *Britones* ad ſua Regna vocant.
Salve igitur, REX MAGNE, Tuo ſatis ampla Triumpho
Neve eſt hæc Tellus, nec ſatis Orbis erit.
Quin, REX, parce Tuis, ſi non ſincera Voluptas,
Gaudia ſi Nobis ſint Lacrymoſa diù.
Tam citò, Reginæ deflenda in Funera miſſos
Infandos gemitus, Quis cohibere valet?
Paulùm ergo liceat Tanto indulgere Dolori,
Quique ANNAM ſequitur, mox *Tibi* creſcet Amor.

Cary Hunt è Coll. Bal.
Sup. Ord. Commenſ.

DUM *Rhedycina* pios ANNÆ perſolvit Honores,
Et charos Cineres Muſarum donat inani
Munere, Nos etiam Carmen tribuamus, & Umbræ
Auguſtæ noſtris ſurgat de floribus Ara.
Vos *Britonum* Natæ, quas ardens Purpura veſtit,
Et pulcras meliore luto *Cytherea* creavit,
Quas capiunt hilares inter Convivia Riſus,
Ponite Lætitiam, mœſtoque incedite paſſu:
Nec malè feſtivis juvet indulgere choreis,
Sed Lacrymis date lora piis, Luctuque decoræ
Sanctum inviſatis Tumulum, Ingenteſque Ruinas.
En, Spes veſtra jacet! Patriæ Tutela Decuſque!
Sed *Sibi* quàm diſpar! quantùm ah! mutatur ab Illâ
Quæ Regina fuit, Quæ Gemmis nuper & Oſtro
Effulgens ibat, Procerum comitante catervâ,
*Paciferam*que Manu Sacrâ prætendit Olivam.
Tum quis Frontis Honos! Quæ dulcis Gratia Linguæ!
Quot formis miti Clementia luſit in ore!
Quantas Regali verſabat Pectore Curas,
Dum vinc'lis Martem, Populi miſerata, cruentum
Stringeret, exilio tentans molimine magno
Otia læta Suis, profugamque reducere Pacem!
Nec Deus abnuerat votis, ſed Numine Cœli
Incepêre bono placidi procedere menſes.
Et Probitas, & caſta Fides depreſſa levarunt
Colla ſimul; niveis plauſit Concordia pennis;
Nec clarâ timuit Pietas ſub luce videri.
Cuncta, volente Deo, vento fluxêre ſecundo;
Cum requie noctes ibant, ſine nube ſereni
Soles; at mediis cadit (ah dolor!) ANNA Triumphis,
Quamque aliis Pacem dederat, vix *Ipſa* potitur.
Semina ſic terrâ condens, meſſemque futuram
Ruſticus, ingenti ſpe paſcit pectora, denſam
Dum cernat flavis ſegetem turgeſcere ſpicis;
Sed ſubitò inducit miſero *Libitina* tenebras,
Fruſtratas ridens curas, atque irrita vota.
Jam, Terræ Domini, vanum cohibete tumorem,
Nec jactentur Opes, Titulive, aut Lata Poteſtas;
Hæc ſiquid, cunctis ſiquid pretioſior Una
Virtus, aut ardens Cœli Reverentia poſſet,
Egiſſet facilem de *Parcis* ANNA Triumphum.

Sed cunctos Letho damnant, triſtique Sepulchro
Naturæ Leges, & non revocabile Fatum.
Ergo Principibus ſacratâ ſede locentur
Relliquiæ dulces, & Magni Nominis Umbra;
Quò ſurget gratans venientem (Regius Ordo)
Carolus, & Quotquot Proavorum munere vitæ
Emeriti, hîc placidum carpunt in morte ſoporem;
Quos inter Priſco Conjux accenſus Amore
Oſtentet ſedeſque novas, thalamumque paratum.
Hîc Corpus jaceat; ſuperas ſed vecta per auras
Fulta ſimul Pietate Suâ, Precibuſque Piorum,
Quos propè materno ſemper dilexit amore,
Pars ANNÆ melior ſolium cœleſte requirit.
Id meruit Virtus, Ea ſanctæ Præmia Dextræ,
Quæ priſco fulgere dedit Delubra nitore,
Deſpectæque novos Mitræ conceſſit Honores.
Jam regnet ſecura, (licèt Fanaticus Ardor,
Hoſtis Virtuti pariter, Gentique *Stuartûm*,
Audeat ambiguas in vulgum ſpargere voces,
Et, rabiem ſpirans, fremat horridus ore minaci,)
Et Radio niteat, Stellis Immiſta, benigno
Angliadis, ſervetque ſuum mutata tenorem.
Immodicos igitur tollat viduata Querelas
Anglia, nec Tanti renuat Solatia Damni.
ANNA, remota licèt, vivit, *Britonas*que faventi
Lumine reſpiciet, nec cognita deſeret arva.
Advenit & nebulas pulſurus fronte ſerenâ
GEORGIUS, inceſſu Divus, dum Gaudia circùm
Mille volant, plenoque ſecuta eſt Copia cornu.
Sic noctu peragrans per devia rura Viator,
Cùm videt Occaſum Lunæ, tenebraſque ruentes,
Triſtis carpit iter cæcum, greſſuque tremiſcit;
At ſimul ac Phœbus radiis fulgentibus inſtat,
Cognatæ pluſquam reparans diſpendia Lucis,
Solvit corde metum, gentes reſpectat *Eoas*,
Gratus Vota facit, properatque attingere metam.

Tho. Triſtram
è Coll. Pemb. Commenſ.

ANNA Decus Regni, & *Britonum* dulciſſima Cura,
Heu! præmaturo funere merſa jacet.
Solvitur in largos viduata *Britannia* fletus,
Et Dominæ luget triſtia Fata Suæ.
Ingeminant miſeras Proceres, Populuſque querelas,
Et volvit mœſtas flebilis *Iſis* aquas.
Define ſollicito nimis indulgere Dolori,
Et Luctus tandem pone, *Britanne*, tuos.
GEORGIUS abreptæ mortem ſolabitur ANNÆ;
Jam petit optatâ Litora noſtra rate.
Aſpice, ut exultat Regali Pondere Navis!
Aſpice, ut æquoreis labitur uncta vadis!
Jam Ponti cecidêre Minæ, cecidêre Procellæ,
Et lenis tumidos explicat Aura ſinus.
Laſcivus placido Delphinus in æquore ludit,
Et ſequitur pictas per freta longa rates.
Turbaque *Nereïdum* concentibus æthera mulcet,
Et vario liquidum carmine fallit iter.
Ite Rates, terræ Pretioſum reddite Pondus,
Ite Rates fauſtæ, *Cymodocea* canit.
Ipſa vocat *Tethys* faciles in lintea ventos,
*Cæſaream*que regit *Deïopea* ratem.
Inflatis *Triton* teſtatur Gaudia Conchis,
Et referunt lætos litora curva Sonos.
Tu GEORGI, Pelagi Dominus jam aſſueſce vocari,
Officioſa *Tibi* ſerviet Unda Maris:
Seu Tua in hoſtiles torquebis Fulmina Claſſes,
Seu Tuus Auſtrales Navita quæret Opes.

Gul. Davis ex Æde Chriſti, Commenſ.

SI *Tua* vel Pietas, ſi Vota Preceſve Tuorum,
ANNA, aliquod poſſent, nunc quoque Salva fores.
Infelix! uno jam vivis nomine; nomen
Tollere, quæ rapuit Cætera, Parca nequit.
Extinctam *Rhedycina*, extinctam Eccleſia luget;
At Famâ ſemper vive, Patrona, Parens.
Tu, GEORGI, *Britonas* regis, Illi proximus; ANNÆ
Sceptrum pænè pari *Tu* Pietate geres.
Ambo florentes Diademate, Laudibus ambo
Æterni; unâ ANNA *Tu* minor, ANNA *Jove*.

Car. Montague Bertie, Honorab. *Henr. Bertie* Fil. Nat. Sec.
& Coll. Magd. Semicom.

CUM primùm æthereas Arces conſcenderat ANNA,
Et Cœli adſcripta eſt Diva Beata Choro;
Certatim Superi ſolennia Gaudia jungunt,
Atque ſibi Sociam Quiſque ſalutat ovans;
Aſt alios inter Genios, quibus *Anglia* curæ,
Quos Tutela loci Præſidiumque juvat;
Sollicitè ante omnes quærit de Gente *Britannâ*
Georgius; Huic contrà talia Diva refert.
"Quàm benè *Ego* tenui, quas commiſiſtis, Habenas,
"Divi, quæ cingit, dicat Oliva, caput;
"At vereor (ſiquidèm media inter Gaudia, charæ
"Me Patriæ curam fas tetigiſſe meæ,)
"Nè Pacem poſſit, placidam & violare Quietem
"Civilis, *Gallo* ſævior Enſe, Furor.
Tunc Ille; "Haud equidem tanti eſt *Tibi* cauſa timoris,
"Succedet ſolio GEORGIUS, ANNA, Tuo.
"Rege ſub *Hoc* atrox Diſcordia pulſa recedet,
"Nec Sua, nec Regnum Vis aliena premet:
"*Hunc* Genio noſtroque afflabo Numine, Nobis
"Nomen Idem, Nobis par quoque Munus erit.

Thomas Burrington. A. B. è Coll. Bal.

ANgliacis lucent Scriptis duo Fulmina Belli,
Heſperia Hoc, Illo *Gallia* victa fuit.
Quod tamen *Edvardus*, quod magna oſtentat *Eliza*,
Exuperat Palmis clarior ANNA ſuis:
Hæc Duo devicit ſociata in Fœdere Regna,
Et potuit gemini ferre Laboris Onus.
At ſubitò plorans abreptam *Europa* Parentem,
In dignas Lacrymas tota ſoluta jacet.
E mediis ANNAM rapiunt inviſa Triumphis
Fata, & Pace frui Mors inopina vetat.
At ſi Quid Tantos poterit compeſcere Luctus,
Orbato aut Populo dulce Levamen erit;
Quòd Similem accipiat Regem, ſibi Patria plaudat,
Lætitiam *Lodoix*, quam dedit ANNA, dabit.

T. Feſton

Coll. Magd. Schol.

A. DOnec Sacra Vetus Tibi
Majeſtas *Britonum*, nec Decor Infulæ
Inviſus; *Britonum* fuit
Fortunis Regio nulla beatior.
B. Donec *Pontifici* ſatis
Adverſus, Juvenem non magis advenam
Arſiſti; populo ſtetit
Nulli Mens avido Fœdere junctior.
A. Me nunc ANNA Doloribus
Implet, chara Suis, & *Patriæ Parens*;
Quam Cœlo Pietas dedit,
Heu Regno Pietas dura ſuperſtiti!
B. Me percellit Amoribus
GEORGI Fama, Decus, Palmaque nobilis,
Quem Cœlum Imperio dedit,
O Lux Imperio grata ſuperſtiti!
A. Quid ſi Priſcus Amor viget,
Et diducta novant Fœdera *Gratiæ*?
Nil jam vel *Mihi* vel *Tibi*
Non ſperare licet, ſub Duce GEORGIO.
B. Quid ſi reddita neſciat
Solvi noſtra Fides? *Me* viduæ recens
Tangit Cura *Britanniæ*;
Sed Virtus reficit Principis aurea.
A. Quanquam Flebilis occidit
ANNA, ac Heſperio ſydere pulchrior;
Tam fulgens oritur Jubar,
Tecum perpetuo Sole fruar libens.
B. Quanquam Vir ſapientior
Phœbo Sceptra tenet, Rex *Jove* fortior;
(Lex ſit mutua) non *Ego*
Spirabo ſine *Te*, Principe GEORGIO.

Hen. Bigg A. B.

Coll. Nov. Soc.

A *Ngligenûm* Luctus, & lamentabile Funus
Principis, & diræ ſolennes mortis Honores
Commemorare jubet Pietas; ſupremaque Dona
Auguſto Cineri tenues ſuperaddere Verſus.
Non tale exegit Carmen Regina, beato
Cùm ſtetit incolumis regno, tum Muſa Trophæa
Semper, & Arma ANNÆ, Paceſque referre ſolebat.
Altera jam rerum facies, crudelis ubique
Planctus, ubique Pavor, triſtiſque exſurgit Imago.
Jamque per *Auguſtam* mœrentes undique Cives,
Funereaſque Faces video, pullataque Patrum
Agmina, Caſtrorumque Decus, Gentiſque Togatæ.
O quàm diſſimilem nuper procedere Pompam
Vidimus, auratos Proceres, Nymphaſque decentes;
Ante omnes ANNAM Cultu, Formâque decoram,
Ducentem lætos *Paulina* ad Templa Triumphos!
Lætitiâ, fremituque viæ, plauſuque ſonabant.
Nunc aliquis forſan turbam ſpeculatus, & ora
Mœrentûm, ſocios, lacrymis ingreſſus obortis,
Fataque Fortunaſque ANNÆ, Moreſque docebit.
Ite O! Relliquias dulces decorate ſupremis
Muneribus, Cinerique hæc ſolvite Debita Sacro.
Illius Auſpiciis, quantis ſe gloria rebus
Suſtulit *Angligenûm*, quali Moderamine Lances,
Europæ juſto librans Examine Fatum,
Æquatas tenuit; domitum ſeu limite *Gallum*
Concluſit juſto, ſeu Terrarum Arbitra juſſit
Quem quæque agnoſcat Dominum, quem quæque recuſet!
Quid memorem quoties *Gallorum* ſanguine crevit
Iſter! Ut ereptæ vinc'lis ſervilibus Urbes,
Sic captæ voluêre capi! Num litora *Rheni*
Teſter, & *Heſperiæ* poſitas in finibus oræ
Herculeas Gades, Britonum quantum Arma ſub ANNÆ
Imperiis poterant? Quid Prælia nota revolvam
Blenhemî, verſaſque acies, palmaſque frequentes?
Fruſtra! nam mediis moritur Regina Triumphis,
Et *Britonum* curam, rerumque relinquit habenas.
Nil Labor aut Benefacta valent, nil vinc'la furenti
Injeciſſe juvat *Marti*! tamen Addita Stellis,
Cincta caput, Diva, effulges meliore Coronâ,
Æternùmque Tuos grati dicemus Honores.

At dum Famâ ingens totam celebrata per Orbem
ANNA volas, Proaviſque frui ſuper æthera gaudes,
Dilectumque Virum, dulceſque reviſere Natos,
Interdum redeat *Tibi* Cura antiqua Tuorum,
Cùmque Novas lauri nectet *Rhedycina* corollas
Auguſto *Britonum* Regi; cùm Templa ſonabunt
Carmine *Sheldoniana*, fave, dum Muſa laborat
Tradere manſuræ GEORGI Præconia Famæ.
Sic ubi Carminibus divinis Muſa *Maronis*
Extinctum flevit crudeli funere *Daphnin*,
Ecce! *Dionæi* procedens *Cæſaris* Aſtrum
Deſuper aſpirat Vati, qui concitus œſtro
Phœbeo, ſublimè volans, ad Sydera tollit
Auguſtum Populo tradentem jura Volenti.

T. Clutterbuck
ex Æde Chriſti Sup. Ord. Commenſ.

AUguſti Cineres, & deploranda per Orbem
Buſta *Stuartiadûm*; *Tu*que ô! *Tu* nuper Aviti
Nominis, ANNA, Decus; Gentis pia vota Togatæ
Suſcipite: Exequias Veſtris dare Manibus iſtas
Fas ſit, & Extremum hunc Vobis indicere Honorem.
Et quis erit tandem finis? quem Numina noſtris
Cladibus eſſe Modum ſtatuunt? quem Fata querelis?
Vidimus indigno mœſti olim funere raptos
Carolidas; *Mariæ*que Urnam, triſtemque *Gloverni*
Flevimus Interitum, Lacrymiſque litavimus Umbris.
Major adhuc nobis luctûs jam ſurgit Imago,
Cùm *Patriæ* dilecta *Parens*, Gentique Superſtes
Unica *Cæſareæ* cognatos viſere Divos
Feſtinans, Sceptrumque ſimul, terraſque reliquit.
O Spes fallaces hominum, atque ignara futuri
Pectora! Poſt bella *Occiduum* compreſſa per Orbem
Auſpiciis, Regina, Tuis, Pacemque receptam;
Quos *Tibi*? quos Nobis ſub *Te* Speravimus Annos?
Aurea felici jam tum ſurgentia mundo
Sæc'la videbantur: pro *Te* quoque ſoſpite Moles
Templorum ingentes, & Centum vovimus Aras.
Sed fruſtrà (heu!) miſeri promiſimus aurea mundo
Sæcula, nequicquam Superis tot vovimus Aras!
Civibus Illa tuis promiſſa, ævoque futuro

Gaudia, (ſic viſum Superis) ſimul omnia *Tecum*
Fugerunt, triſtique jacent compôſta Sepulchro.
Senſerat inflictum Vulnus, Divamque cadentem
Thameſis, *Angliacos* inter pulcherrimus amnes:
Attollenſque caput medio de gurgite, mœſtùm
Mugiit exululans, fixiſque exhorruit Undis.
Audiit, & toto tremuit *Germania Rheno:*
*Belgarum*que diu Bellis exercita Tellus
Europæ metuit, nè jam quaſi fœdere rupto
Rurſus in Arma ruat, nè pænè obducta recenti
Pace, recrudeſcant alio mox Vulnera Bello.
Quin acie tandem domitus Nova Prælia *Gallus*
Horret, & hoſtili fulgentes ære Catervas:
*Blenhimiæ*que iterùm palleſcit Imagine Pugnæ.
Quis tamen Ille Heros, plauſu Quem læta ſecundo
Excipit, atque avidis venientem amplectitur Ulnis
Curia? dum denſo circumſtrepit agmine Vulgus,
Et Curru certatim omnes venerantur Euntem?
Cæſaris agnoſco vultus, charamque *Jacobi*
Progeniem, Divique, ſuis Qui præfidet *Anglis*
Felici augurio dictum de Nomine Nomen.
Salve *Erneſtiadûm* Auguſto de Sanguine Princeps:
*Hannoviæ Britonum*que Decus commune, utriuſque
Gentis Amor, Salve: magno Qui munere Divûm
Miſſus ades lapſis Sæc'li ſuccurrere rebus.
Adventu lætata Tuo, regniſque futuris,
Aſpice ut ingenti ſubmerſa *Britannia* Luctu
Se tandem levat ægra ſolo, Lacrymaſque priores
Dediſcit, Charamque minùs deſiderat ANNAM.
Tu Belli Paciſque vices, hortante Senatu,
Arbiter *Europæ* ſtatues, belloque ſuperbos
Contundes Populos, requiemque tueberis Orbis.
Tu pelagi ſternes fluctus, Portuque locabis
Æquore jactatam tumido, & Civilibus undis,
Amiſſo Rectore Ratem: *Tu* denique, *Cæſar*,
Firmabis vario Populi concuſſa tumultu,
Atque immota Novi ſtatues Fundamina Regni.
Sic ubi Ventorum, Pelagique revulſa Furore,
Huc illuc incerta loci fluitaverat olim
Ægæas Delos paſſim jactata per undas;
Adventu propiore Dei, vaga ſubſtitit ultrò
Inſula, & æternùm fixis Radicibus hæſit.

Tho. Button è Coll. Jeſ. Socio-Commenſ.

RIpâ remotâ, cui taciturnior
Cherwellus hæret piſcibus incolis,
Recumbit, & non indecoro
Auget aquas *Rhedycina* Fletu.
Ægrè gementem ſollicitat Lyram,
Chordæque triſtes vix referunt ſonos,
Dum verba jungit, lugubrique
Conſociat citharâ Querelas.
Non uſitato, nec tenui ferar
Dolore, largos Funera poſtulant
Auguſta Fletus, atque Ocellos
Perpetuo fluitare rivo.
Oh! ANNA, Muſis Nomen amabile,
Nunc Umbra friges, nec Pietas Tua,
Nec nuda Virtus *Te* capaci
Eripit ex *Acherontis* undâ.
Quot nuper Annos pectore finxeram,
Quot deſtinâram, quæ *Tibi* Sæcula,
Ceſſante cùm Belli furore
Pacificos canerem Triumphos!
At Fata fallunt me nimis invida,
Non tempus ævi Carmina prorogant,
Non Spiritum fiſtunt fugacem
Sollicitæ pia Vota Muſæ.
Queis *Phœbus* oris jam vagus exulat,
Quâ ſauciatus Virgine deperit,
Regina dum Muſis Amica
Poſcit Opem, Medicoſque Succos?
Phœbus querelas increpuit Lyrâ;
O Nympha, dixit, deſine Luctuum,
Non ANNA duro cedit Orco,
Indocilis *Lacheſi* domari.
Nunc miſta læto Cœlituum Choro
Exauget ipſis Syderibus diem,
Vel forſan acclinis Marito
Purpureo bibit ore Nectar.
Tu lætioris quære modos Lyræ,
Lætas Camœnas GEORGIUS exigit,
Tutamen, atque ingens *Britanno*
Præſidium Populo futurum.

Seu Jura reddat juſtus & integer,
Solvatque pœnâ criminis inſcium,
Reos at inſignes & imos
Judicio premat Æquus uno:
Seu dura Caſtris Prælia cogitet,
Vexare turmas impiger hoſtium,
Belloque fœcundam futuris
Materiam pariat Camœnis.

Nathan Hickman è Coll. Reg.
Sup. Ord. Commenſ.

OCcidit ANNA Sui columenque & gloria Regni,
Et vocat in triſtes Te, *Rhedycina*, modos.
Quæ quondam *Iſiacas* dignata inviſere Sedes
Excepit Luſus ore favente Tuos.
Argumentum ingens Muſis, ſeu Laurea victrix,
Seu Sacrum ornaret mitis Oliva Caput.
O *Tibi* Quis ſurgens tali virtute, Camœnis
Præſidium paritèr, Materiemque dabit!
En! Sua Sceptra petit, *Britonum* plaudente coronâ,
GEORGIUS, atque ANNÆ triſtia fata levat.
Ille Tuis etiam quondam permiſtus Alumnis
Non renuit doctæ pignora parva Togæ.
Ille Tuis Fautor dabit Otia grata Camœnis,
Aonio æternùm commemoranda Choro.
Quin & tempus erit, veniet cum Regia GEORGI
Progenies, Monitis inſtituenda Tuis:
*Cæſareus*que Puer Patrios æquabit honores,
Et Magni in laudes, Te Duce, ſurget Avi.

Salisbury Cade
ex Æde Chriſti.

O! Diva *Clio*, cui liquidum Melos,
Lyramque *Phœbus*, cui dedit aureos
Moreſque, virtuteſque Regum
Perpetuo memorare cantu;
O! ſi recumbens ad tumulum vigil
ANNÆ, canoros præcipias modos,
Quales ab inviſo feruntur
Eurydicen rapuiſſe Fato,
Si non ſequentem reſpiceret miſer
Poſt terga Vates; Numine qui Tuo
Plutona mulſit, & feroces
Eumenidum recreavit Angues.
An fallor? an me Diva ſciens lyræ
Audit vocantem? Et jàm videor nigras
Errare per Sedes, per Urnas,
Et veterum Monumenta Regum.
Heu! quanta Strages! quantaque Funera!
Videtis! En! Mors concutit horrida
Durum ligonem, ferreamque
Mille ſedens ſuper oſſa falcem.
Clavo trabali nunc adamantinas
Fores recludit, & retegens ſacras
Urnas *Stuartûm*, ſolvit ora
Horribili metuenda riſu.
Non, ſi canoro blandiùs *Orpheo*
Sylvas morantem perculeris Lyram,
Aut Mortis eludes Triumphum, aut
Exanimem revocabis Umbram,
Quæ rore *Lethæo* ſemel occiput
Perfuſa, in auras non iterùm redit,
Sed ducit hîc oblivioſum
Inter Avos Atavoſque Somnum.
Jàm nunc Olivas, quas tulit Arbitra
Pacis, Cupreſſis funereis tegam,
Lauroſque, quas non Fulminantis
Tela, Meæ ferient ſagittæ.
Æterna nè ſpe concipias, monet
Eliſa, Cui non vel Pietas Sua,
Vel ulla Virtus ingruenti
Ferre moram potuit Senectæ.

En! hîc ſepultos, En! tibi *Caroli*
Manes! Quid Armis, quid juvat extero
Carere Bello, ſi cruentam
Fata domi exacuant Bipennem?
En! & jacentem in pulvere Filium!
Nec Quercus, umbrâ ſi ſemel aſperos
Fefellit ictus hoſpitali,
Uſque brevem Dominum tuetur.
Quin & juventas, & patrius vigor
Forti *Gloverno* proficiunt parùm,
Maria Quem juxta recumbit,
Spemque jubet reſecare longam.
Quouſque ſævo læta negotio,
Mors, inſolenti lætitiâ fremes?
Quouſque jactabis cadentûm
Relliquias, Spolia ampla, Regum?
Centum catenis claude adamantinas
Fores Sepulchri, define Regium
Sitire Sanguinem, cruento
Jàm nimiùm Saturata ludo.
Labantis & Spes & Decus Imperî
Diù ſuperſit GEORGIUS; Hoc rogo,
Duraſque Fatorum benignâ
Sorte vices iterùm rependo.
Quæ Cura Patrum, qui Procerum Labor
Illum auſpicatis ornet Honoribus,
Qualis Triumphus, quæ beati
Gaudia ſint, fremituſque Vulgi,
Deſcribet alter, qui calet Entheo
Ardore plenus; Quin Ego plurimo
Cantu fatigatamque luctu
Barbiton hoc Tumulo reponam.

Rich. Lyddell ex Æde Chriſti.

Sup. Ord. Commenſ.

SIC terris *Aſtræa* diù trepidantibus alis
Aſtitit, & vultu ſublato ad ſydera, fata eſt
Talia voce. — "Tuas, ingratis Exul ab oris,
"O Cœlum natale! Domos, convivia Divûm
"Non ignota peto; læſæ mox Virginis iras,
"Et gravitèr violata luent Stirps impia Jura.
Dixit, & extenſis enixa per æthera pennis
Effugit, & roſeum caput inter nubila condit.
Non alitèr ſacram rapuêrunt veſtra, *Britanni*,
Crimina Reginam; Heu quoties componere fluctus
Vellet diſcordes Patriæ, *Britonas*que levare
Angliacis manibus! Vos O! quos ultima *Thule*
Mittit, quo mulſit Lenimine Pectora veſtra
Dicite, quâ potuit mirâ compellere in unum
Arte gregem Populos, *Paciſque imponere morem.*
Iſter (namque olim latè tibi Litus ovantem
Vidit utrumque Ducem) narres an *Cæſaris* Enſis,
*Malburii*ve tuas tumefecerit altiùs Undas!
Quantâ ſtravit agros *Gallorum* clade *Britannus*
Bleinhemiæ, medios audax volitare per ignes,
Te Vires, *Te*que, ANNA, Deos præbente ſecundos?
Si vacat æthereas, Chariſſima, linquere ſedes;
Dulcia mitte, precor, Cognatorum oſcula Regum;
Te pauliſpèr Avus, *Te* læti Conjugis ulnæ,
Te maneat noſtræ Laus Altera gentis *Eliza.*
Aſpice *Te* quantis luget Tuus imbribus *Iſis*,
Næniâ & Exequias fruſtrà Pius ornat inani.
Sic Avis (exiguis ſi fas componere magna)
Stans Citherea Domûs extremo in limine, Pullis
Porrigit ore cibum teneris, quam fortè Miniſtra
Fulminis aſpiciens, Strepitu delapſa per auras
Corripit ingenti: Proles orbata Parentem
Avulſam intereà plorat, tremuliſque requirit
Nequicquàm pennis, & inania murmura miſcet.

Tho. Hayward

è Coll. Ænei-Naſi.

OCcidit heu! nunquam revocabilis; occidit ANNA
Uſque dolenda; oculos fixos in morte tuere,
Pallenteſque genas! quantùm mutatur ab Illâ,
Cujus Majeſtas nuper venerabilis ori
Inſedit, fronti Decor, & Vigor acer ocellis,
Pluſquàm Fœmineæ mentis certiſſimus index!
Quò fugit Vox illa, eheu! quò pulſa receſſit,
Quæ toties fidum movit, flexitque Senatum!
Quas, Regina, gravi, jam non Tua, Regia curâ
Saucia, nunc lacrymas & inania murmura miſcet,
Dum plorat Caſus & non *Tibi* debita Fata!
Sic ubi Apum Ductor, ſub acerbo vulnere vitam
Expirans, parvi linquit moderamina Regni;
Illas Languor habet, ducunt de pectore Queſtus,
Confuſumque ſtrepit cerata per atria Murmur.
O quoties plangent Nymphæ, illætabilis Aulæ
Gloria! quàm nitidos turbabit Luctus ocellos,
Fœdabitque genas molles, dum triſtis oberrat
Ante animos oculoſque ANNÆ morientis Imago!
O quoties Inopes juxta Tua Buſta ſedebunt,
Rorantes largo lacrymarum flumine vultus!
Solvitur in lacrymas *Britonum* Gens tota, Tuoque
Funere funus habet certum, nî GEORGIUS orbum
Conſcendat Solium, & Regni moderetur habenas;
GEORGIUS Imperio aſſuetus, rebuſque gerendis,
Deliciæ *Britonum*, Magnæque ſimillimus ANNÆ.
Nec mora, Chare Heros, Populum ſub Jura volentem
Accipias; ſub *Te* quid non ſperare licebit,
Et Tua ſe quantis attollet Gloria rebus?
Quàm lætus ſeſe nobis Proſpectus in Annos
Venturos pandit; fatalia Numina, Parcæ
Qualia ferratis evolvent fæcula penſis!
Angliaco æternos ſolio *Tu, Cæſar*, honores
Addes, Quem metuunt Hoſtes, venerantur Amici.
Auſpice *Te*, ſciſſi Studia in Contraria cives
Miteſcent, poſitis odiis, & fœdera jungent,
Omnes unanimes, omnes Tua Sceptra parati
Incorruptâ ornare Fide, & tutarier Armis.

Gualt. Jones A. B.

Ædis Chriſti Alumnus.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

NUper ſolebat dicere amantium
Curas amœnas Muſa, alacris Lyræ
Potens, & Heroas *Britannos*
Non humili memorare Plectro:
Et nuper almæ Pacis amabile
Donum Poetæ, ac Publica Gaudia, &
ANNÆ recenſebant Honores
Innumero nitidæ Triumpho.
Eheu! Camœnas inſolitus Dolor
Urget: Supremum Munus, & impotens
Plutona delinire Carmen
ANNA rogat, Numeroſque mœſtos.
A fæce vulgi Carmina ſegregant
Reges; & ANNAM, Diis properè additam,
A plebe Regum *Gratiarum*
Lucidior removebit Ordo.
Sed nulla Virtus exiguam moram
Morti ferebat; nec Populi prece,
Languentis æterno dolore,
Elyſio revocanda Princeps.
Sic blandus Infans, quem gremio pia
Mater fovebat, flebilibus ſonis
Nunquam reverſuram repoſcit,
Neſcius exanimem jacere.
Et *Ipſe* tantis indoluit Malis
Felix *Britannûm* Rex, generoſior
Gaudere Sceptro ſic parato,
Atque datam gemuit Coronam.
At ANNA, triſtes paſſa diù moras,
Maturat almum viſere Conjugem,
Quà Baſia, Amplexuſque dulces,
Atque Novos repetunt Amores.

Timotheus Allen
è Coll. Magd.

ANNA Parens Patriæ dum Sceptra gerebat Avita,
Anglica ſe quantis tollebat gloria rebus!
Sæviit incaſsùm *Lodoix*, & bella *Britannis*
Intulit horrenda, & decimum ultra protulit annum,
Europæ Imperium affectans: quid Fœmina poſſet
Perſenſit, quoties acer *Churchillus* in hoſtes
Irrueret Marte horrentes, & ſtringeret enſem
Fulmineum, vel turritam proſterneret urbem.
Uſque adeò, quia Pacis amans, Regina triumphat.
Hinc, quos materno Pia ſemper Amore fovebat,
Præſtitit incolumes, & tandem Pace beatos
Donavit Cives, centum potiore Triumphis.
Non tamen his Divæ concluſa eſt finibus ANNÆ
Cura, ſed externas etiam ſe extendit in oras.
Vidimus *Europam* ſævis concurrere bellis;
Vidimus *Europæ* propè jam pacata per ANNAM
Bella, ſed oh! (ſiccis oculis quis cætera dicat?)
Occidis ante diem; quod ſi *Tibi Neſtoris* anni
Contigerant, paucos quereremur *Neſtoris* annos.
Tu tamen exultans terras, Regina, relinquis,
Æthereaſque domos celeri petis ardua curſu,
Quà Regum affines Turbæ, quà *Georgius* Ipſe,
Quà chari accurrunt, dulciſſima Pignora, Nati,
Adventum *Tibi* gratantes. Tua cura *Britanni*
Intereà triſtes effundunt ore querelas,
Perpetuo Cineres Maternos imbre rigantes.
Occidis *Europæ* toti *Tu* flebilis, *Anglis*
Flebilior; Muſis præſertim ſemper Amicam
Muſa ſatìs lugere nequit; nova Mœnia Muſis,
Hoſpitiumque novum, finerent ſi Fata, dediſſes.
Hoc tamen Occaſum *Britones* ſolabimur ANNÆ,
Hoc etiàm *Oxonidæ*; Regni digniſſimus Hæres
GEORGIUS ecce! venit; nihil *Illo* triſte recepto,
Omnia quæ moriens Regina infecta reliquit,
Soſpitis abſolvet fauſto omine dextera GEORGI.

Velters Cornewall ex Æde Chriſti.

Sup. Ord. Commenſ.

COmmunes lacrymas Regalia Funera poſcunt,
Conjunctos Fletus quiſquis Diademate cinctus
Occiderit Princeps, animamque efflârit opimam;
Queſtus inſpirat numeroſos Fama Poetis,
Æmulaque effundunt certantes carmina Muſæ.
Altus at *Angligenûm*, cùm terris ceſſerit ANNA,
Pompam omnem renuit Luctus, ſucumque recuſat
Pieridum; vivit tacitum ſub pectore vulnus.
In planctus ſublata manus, vitalis & aura
Singultus paſcit; dat Lux alimenta Dolori.
Nunc & paulatim levior Dolor ille diſertos
Efficit, atque pios gemitus in Carmina ſolvit.
Non ſoli arguti fundunt Modulamina Vates,
Omnis & Ordo canit; Numeros Suſpiria præbent:
Nec canitur ſurdis, reſonant loca diſſita planctu;
Longinquæ Gemitu *reſpondent omnia* Gentes.
Militiâ partos memorem, ſeu Pace, Triumphos?
Mollitiem ſexûs, Animi ſeu robora dicam?
Bella gerit? referunt iteratos Bella Triumphos.
Arma procul peragrant? mittit Plaga quæque Trophæa;
Et multâ lauru ſignantur Tempora Regni.
Hortatur Pacem? Leges atque Arbitra juſtas
Imperat? hoſtiles coeunt in fœdera Reges,
Nec *dubiis volitat* Pax, aut *Victoria, pennis.*
Nunc *hominum negat* ulteriùs *curare triumphos*;
Æthera cognatum petit, amplexuſque Mariti,
Et Cœli, dudum quas Prole impleverat, arces.
Non Funus ſimplex ereptâ ducitur ANNA,
Tota ſimul pereunt magnorum ſtemmata Regum,
Et Prolem exciſam querimur cum ſtirpe *Stuartûm*:
Sic totum fluctus quondam revolutus in Orbem
Delevit genus humanum; ſub pondere aquarum
Ingemuit tellus; tandem, cedentibus undis,
Cùm nova progenies udis immittitur agris,
Corripitur lethi gradus, ætatique priori
Mille annos ægri fruſtrà invidêre Nepotes.
At Rex everſo fortis ſuccurrere ſæc'lo,
ANNÆ Qui ſolus meruit ſuccedere Regnis,
Accipit Imperium, Pietate inſignis, & Armis,
Progeniem renovans Virtute, & Sanguine, Regum.
Heroum exoritur Series, cum fructibus unà

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Proveniunt flores, & Proles debita Sceptro,
Cui Genitor meritas poſt ſæcula tradat Habenas.
Anglica ſeſe auctis attollit gloria rebus,
Imperiumque Novum miranti naſcitur orbi.
Sic quamvis longo latuiſſet *Dardanus* ævo,
Trojanumque Genus texiſſet Gloria *Romæ*,
Emicuit *Cæſar*, *Veneris* divina Propago,
Julius & magni renovavit nomen *Juli*.

Edvardus Wolley A. B. è Coll. Reg.

SI Luctus unam jam magè Cæteris
Urget Camœnis, cui liquidam dedit
Apollo vocem, quæ Sorores
Pierias ſuperare callet;
Cùm triſti doctâ pulſet Ebur manu,
ANNÆ parentet Carmine lugubri,
Et ploret æquiore Dignam
Sydere, *Neſtoreo*que filo.
Si dia acerbum *Melpomene* ſemel
Funus madenti lumine viderit,
Vitam redonabit, nec undâ
Dira palus Animam coercens
Obliviosâ, nocte premet Decus
Aut Nomen ANNÆ; Clara recentibus
Honoribus nunquam interibit,
Flumine *Caſtalio* rigata.
O impotentis Sævitiam necis!
Cœleſte Sceptrum Sancta gerit Manus;
Dextrâque largitur, finiſtrâ
Cui rapuit, Diadema Fatum.
En! *Illa* Sedes ſydereas ſuper
Evecta, charam deſpiciens procul
Hanc *Inſulam*, quam cingit Æquor
Oceani, Sua Regna quondam,
Sic in nitenti Cælicolûm Choro
Beata dicit; "Numina GEORGIO
"Donate, Tutelæ *Britannûm*,
"Sceptra citò Mea, Veſtra ferò.

Gul. Bouchier. Coll. Nov. Schol.

REgia deſeruit lacrymantes Hoſpita, Civem
Reddidit & Superis Terra *Britanna* novam.
Cui mare, Cui tellus, Cui ceſſerat Ira Rebellis,
Solvitur in cineres, & jacet Umbra ſilens.
Certa per oppoſitas torſit dum ſpicula turmas,
Plexit & Ultrici perfida corda Manu,
Invia Reginæ nuſquam loca; profuit hoſti
Gallica nec Virtus, nec benè nota Fides.
Deſtituit Solium, ſuperaſque evaſit ad auras,
Diva nec ANNA vacat Sceptra Paterna pati.
Talis *Atlas* humeris quùm vaſtum excuſſit Olympum,
Viribus *Herculeis* grande reliquit Onus.
Plaudite Vos *Britones*; Genius nunc præſidet ANNA;
Extinctam *Britonum* ſedula Cura manet.
Quæ modò *Vinſorias* nituit Tutela per arces,
Sedibus æthereis protegit ANNA Suos.
Quæ dedit *Europæ* Victrix Regina Quietem,
Lumine nunc decorat Stella coruſca Polum.

Ric. Rawlinſon A. M.
è Coll. Di. Jo. Bapt.

ΑΓΕ, ζωγράφων ἄειστε,
Γεάφε χεώμάσιν φεείσοις
Θανάτῳ λυθεῖσαν Αννλεω.
Γεάφε κειμθύλεω λέχεσιν
Ενὶ χευσέοισιν, ὡσεὶ
Μαλακῷ δαμεῖσαν ὕπνῳ·
Πλοκάμυς ποίει ἀπάκτυς,
Μέλθω ὄμμα ϗ ϖεόσωπον
Ολίγον μαεανθὲν, οἷον
Υάκινθον, ὃν γυναῖκες
Απαλῷ φέεσι κόλπῳ.
Αγε, παεθένυς χάεσατε
Πεεὶ λεκτεὸν ἡμθύας τε
Ανεως, ϗ ἐκχεύσας
Στοναχάς τε ϵ ὀδυρμύς.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Οτ᾽ ὄλωλε κἀπέθνησκε
Πολὺ φερτάτη γυναικῶν,
Πολὺ φερτάτη ἀναστῶν·
Διά θ᾽ ἰὼ ἔρις πέπαυ᾽)
Πόλεμός τε ἠ κυδοιμός·
Διά θ᾽ ἰὼ γέγηθε δῆμος,
Διά θ᾽ ἰὼ πάλιν γόησε.
Μέλαν αὖτ᾽ ἄμειβε χρῶμα
Πίναξ τε· ἐς τύπωσον
Μεγάλῳ χαρὰν Βρεταννῶν.
Γράφε πλήρεας ἀγυιὰς
Νεαρῶν τε ἠ γερόντων
Ποτιδεγμένων Ἀνακτα·
Ἀλαλητῷ ἐκβοῶντες
Περὶ ἅρμαθος χέωνται.
Γράφε δ᾽ αὐτὸν εἰνὶ δίφρῳ
Ἅμα τερπνὸν ὡς Λυαῖον,
Ἅμα δεινὸν ὡς Ἄρηα.
Ἀπέχθ, βλέπω Ἀνακτα,
Μέγα χάννυταί μοι ἦτορ,
Τάχα, ζώγραφε, μανεῦμαι.

Georgius Gregory
ex Æde Chriſti Commenſ.

TE, Mors, cùm Generis fuerit nec *Jupiter* Auctor,
Nec Cœlum, ſtultè credimus eſſe Deam;
Diis facimus pia Vota, favent & Numina Votis,
Tu ſurdâ immitis reſpuis aure Preces:
Nec te Natorum ſatiat, Sanguiſve Mariti?
Ipſa ſed ANNA, ingens, Mors, tibi Præda cadit?
An Requiem Belli quia feſſis attulit *Anglis*,
Ocyùs *Elyſias* aſpicit ANNA domos?
Scilicet ob Pacem Mors eſt irata: perire
Et quoniam ANNA Suos noluit, Ipſa perit.

Joh. Brabourne
Aul. Nov. Hoſp. Commenſ.

DUdum ingens regni Pompa, imbelliſque Triumphus
Explicuit ſeſe, & feſto circùm omnia plauſu
Fervere cœperunt — Subitò venerabilis horror
Attonitum infigit *Britonem*, & veſania luctûs
Immodici heu! raptam cœlo temerè imputat ANNAM.
Non ſeries morbi, in tardum producta triumphum,
Extenuat curas, aut dat ſperare dolori:
At ſimul immiſſis Morboque & Funere ſurgit
In cumulum Labor, atque oneri ſucumbimus Omnes.
Sic cita Tempeſtas *Lybicum* prorumpit in æquor
Involvens cœlum, circumdant lumina Nautæ,
Atque unà inſtantem Lucemque Umbramque ſtupeſcunt.
Prædurae Sortes! Quid non ſperâſſe *Britanni*
Securi auderent, propria hæc ſi dona fuiſſent,
Perpetuumve ANNÆ Sceptrum! ſed turbine multo
Volvimur, incerti rerum, illuſique Futuro.
Haud aliter letho occumbit, cui marmora ripis
Danubii æterna aſſurgunt, Inſignia Famæ
Spirantûm cædes *Britonum*: Dum pinguia Cultor
Rura ſtupet paſſim, & turgentem à ſanguine culmum.
Sed Belli inviſus Labor, ingratique Triumphi.
Ergo ANNÆ, fremitu preſſo ſtrepituque tubarum,
Fœmineus vitæ tenor, & peramabilis Ordo
Panditur: Incertum Regina an Fœmina Major.
Sed quibus eſt celebranda Lyris ſuper omnia fervens
Immensùm Pietas! narret, Sua Cura, Sacerdos,
Quàm dubiis immota Fides, quàm conſcia cœli.
Hinc ſpes fœcunda, & tranquilli Gratia vultûs,
Dum magna ſenſim langueſcunt ſtamina Vitæ,
Pendulaque Aura tremit: tandem corde evolat Umbra
Sedato, nulli motus, lethive tumultus.
Sic Deus antiquum (liceat dixiſſe) Prophetam
Aggreſſus, flammarum inter, ventique ruinas,
Aſtra petit voce exiguâ, tenuique ſuſurro.
Quin vota, O *Lodoïce*, premas, facileſque Triumphos
Dudùm exurgentes animo — Tibi GEORGIUS inſtat,
Teutoni honoratum Nomen, *Britoni*que futurum.
Aſpice, ut Auguſto ſedeat ſpectabilis Ore
Majeſtas, Curæ grandes, & Pondera rerum!
Quàm Bello matura manus, quàm prodiga lethi,
Seu gladio aſſurgat multus, ſeu torqueat haſtam

Fulmineam: felix Annis, viridique Senectâ.
Ponè implet Pompam Magni Domus inclyta GEORGI,
Illuſtres Animæ, *Britonum*que in nomen ituræ:
Præ reliquis, fulget Juvenis, Spes Altera Regni,
Purpureo vultu inſignis, Lauruque recenti
Innexus caput. En! multo conamine frangit
Cornipedem, glomeratque pedes, mittitque frementem.
Miratur tacitum pendens ſuper ora *Britannus*,
Et Reges nondum natos: nunc Otia volvit,
Florenteſque Artes animo: Nunc Bella recenſet
Longè ſemota, & venturis fervet in armis.
Sic Lucos olim *Æneas*, Campoſque nitentes
Elyſii ſtudio recolens, longo Ordine Prolem
Spectat inexpletus, Divûm Genus; aurea condet
Hic Sæc'la, *Ille* ferox ſuper & *Garamantas* & *Indos*
Proferet Imperium: Patris ſtant Gaudia vultu
Æneæ, & Famâ fruitur, Fatiſque Nepotum.

Joh. Nicolſon
Reverendi admodùm Epiſcopi Carleolenſis Fil. Nat. Sec.
è Coll. Reg.

PAllentes Violas, & breve Lilium,
Paſſæ cæſariem, carpite, Virgines;
Cupreſſi, Juvenes, ſpargite funebres
Ramos, cum Gemitu pio.
Eheu! Quis Cineri ſufficiat Dolor
Regali? Lacrymas quis deceat Pudor?
Pullati Proceres flete *Britannici*
Abreptum Imperii Decus.
ANNAM Fata domos ad *Stygias* vocant:
Anglorum Columen, Præſidium, Salus
Supremæ gelidum carpit iter viæ,
Cui *Parcæ* reditum negant.
Illam non Tumuli munere Nobilem
Sculptorum pereuns efficiet Labor:
En! Delubra novo juſſa reſurgere
Saxo deſpiciunt humum;
En! Sumptu inſolito Templa nitentia,
Et læto placidos Hoſpitio Deos:
Hæc, Regina, Tui ſunt Tumuli Decus,
Hæc Vitæ melior Nota.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

At quantis ſonuit Regia fletibus,
Cùm vix ANNA levans jam tenebris graves
Extremis Oculos, voce noviſſimâ
Mœſtos detinuit Patres!
"*Me* terris rapit invicta Neceſſitas;
"At Veſtris, Proceres, ſit Lacrymis Modus:
"Regem Fata dabunt Imperio Parem,
"Et Dignum Proavos ſequi.
"Felici Auſpicio GEORGIUS inſtruet
"Armatas acies, & Nova Fulmina;
"Et fido, Sapiens *Palladis* artibus,
"Dicet Jura Senatui.

Gul. Huddesford
è Coll. Omn. Anim.

HOS *Tibi* ſupremos mœſti ſacramus Honores,
Hunc verſum, has lacrymas Manibus, ANNA, Tuis.
Accipe quos offert gemitus *Parnaſſia* Pubes,
Quos *Tibi* centenâ Noſter *Apollo* lyrâ.
Hoc poſcunt Gentes æterno Fœdere junctæ,
Mille hoc ſeu terrâ, ſive Trophæa mari.
Exigit hoc Pietas cœleſti in pectore flagrans,
Et quæ *Te* nituit Principe pura Fides.
Fas tamen Exequias inter miſcere Triumphos,
Noſtra nec in tacito Gaudia ferre ſinu.
GEORGIUS Auſpiciis veniens felicibus, *Anglos*
Protegit, & Populo Sceptra volente tenet.
Hujus in Adventu ſe læta Eccleſia jactat,
Præſidio Fidei jam benè tuta Novo.
Hunc Regem agnoſcent Gentes; Oræque remotæ
Diſcent, Cui Domino pareat unda maris.
Quinetiam *Ille* domi Populares leniet Iras,
Et ſua Civilis comprimet arma Furor.
Perſolvent cœlo tali pro Principe Vota
Concordes Proceres, unanimeſque Patres.
Hoc unum certamen erit, Gentem magis *Anglam*
Rex amet, an Regem plùs amet *Illa* Suum.

Georg. Fox ex Æde Chriſti,
Sup. Ord. Commenſ.

SI *Britones* Magnæ plorârunt Funus *Eliſæ*,
Et tetigit fortes rapta *Maria* Duces.
Triſtis inornatos, Elegeïa, ſolve capillos;
Et mihi funereos prome vocata modos.
ANNA, Decus Regni Columenque infigne *Britanni*,
Heu! jacet in mœſto corpus inane toro.
ANNA jacet, non Qualis erat, cùm vecta per Urbem
Ad Templum Procerum duxerit agmen ovans.
At jam mutatæ comitantur Funera Pompæ;
Et plangunt querulis aurea Fana Sonis.
Aſpice Matronam, gemmarum Infignia ponit,
Lentaque pullato Syrmate verrit humum.
Nunc oculi lugubrè rubent: it mœſta Puella,
Nec calathi memor eſt, nec memor illa chori.
Jam ſedet ad portam narrans Tua munera Pauper,
Et Lacrymas miſcet Laudibus, ANNA, Tuis.
Incedit verſis Miles pacatior Armis,
Et queritur triſtes tardiùs ire dies.
Flet noctem, & mœſtas iterat *Rhedycina* querelas:
Conſcia lugubri murmurat unda Sono.
Ad mare decurrit properanti *Thameſis* undâ,
Et Regi *Britonum* Publica Vota refert.
I, propera, GEORGI; noſtriſque allabere terris:
I, propera, & Populo Gaudia redde Tuo.
Vive diù, & raptæ breviores Principis annos
Compenſent vitæ Tempora Longa Tuæ.

Thomas Gore, Gul. Gore Militis Fil. Nat. Minor,
ex Æde Chriſti Sup. Ord. Commenſ.

MEns avet innumeros *Britonum* reſonare Triumphos,
Sed reddit querulos mœſta *Thalia* ſonos:
ANNA perit, Regnique Decus, Columenque Suorum;
Præſidium terris Quæ tulit, Ipſa perit:
Nil juvat aut Pietas, admotave Nomina Cœlo;
Invictos, victos, commovet Urna capax.
Heu! liceat juſtis Tumulum cumulare Querelis,
Et Tua non ſiccis condere Membra rogis.
Quin ſileant Queſtus; Succedit GEORGIUS ANNÆ,
Unus Par tantas ſuſtinuiſſe vices.
Haud ſecus exanimem dum plangit Sponſa Maritum,
Surgentes Gemitus decipit alter Amans.

Car. Kendall Coll. Omn. Anim. Soc. Prob.

ΤΩ ΒΑΣΙΛΕΙ.

Εἶδος.

Στροφὴ α'. Κῶλ. ια'.

Ἁλίου φαεινὸς ἀχὴς,
Μετ' ὠκυπόρους ἀνέμων
Ῥιπὰς, καὶ κυλινδομένων
Κυμάτων πόντον κατ' ἀμαιμάκετον
Ἦχον ἐείδεμον,
Νεφέλας γε λιασκεδάσας
Ναύταισιν ἀδὺ φέγγος
Ἀνίησι, φέρων γα-
λάνειαν. Μετὰ δ' ἀερινὸν πῦρ
Ἀδὺ πολυσάζει ὄμβριον
Ὑδωρ, γανόωνται δ' ἀγροί.

Ἀντιστροφὴ α'. Κῶλ. ια'.

Ἀμμι δ' ἡδοναὶν θεόδματον ὤπασεν ὠκέα ναῦς,
Ἃ χάρισσον ἄνδρα φέρουσ',
Ἀρτίως χαίρουσα πέλασσέ νιν ἀκταῖσι Βριταννικαῖς,
Μετὰ πένθος ὀξὺ βέλος
Ὑλαν ἄγονται τερπναὶν
Μελιγάρυος ὕμνους.
Οὐ φαυροτέραις λάχεταις γὰ
Σκῆπτρον Ὁ κυδαίνων ἀμφέπει,
Τὸ χεῖρ ποτε νεῖμεν Ἄννας.

Ἐπῳδὸς α'. Κῶλ. ιγ'.

Ἃ πατέρων δὐωνύμων
Ἐκγονος τηλαυγὲς ἄεξε φάος
Κέλτοισι στρατῷ τε Βρετάννῳ·
Καὶ ταπεινώσασ' ὑπερηφανίαν

Κέλτων Τυρέννυ, ἢ καθελοῖσ' Ἰβή-
ρων δυνάμιν, φίλοις ἄμυνε
Νηλεὲς ἆμαρ.
Λιταῖσι ἢ πειθομβρία
Αἰχματὰν πολέμυ κεραυνὸν
Σβέννυε, καὶ σοὶ κρατὶ θῆκε
Κόσμον ἐλαίας·
Εἰρήνας ἔργων μάχας τ' ἄρ' εἰ-
δῦα, Παλλὰς δῦτ' Αθήνα.

Στροφὴ β'. Κῶλ. ιά'.

Μητίεσσι ποικίλαισιν
Ἀγάνορα θύμον ἔπ-
κοσμηθεῖσά θ' ἁσυχίᾳ
Ἀσφαλῆ, δίκᾳ τε βάθρον πολίων
Πάντα χρόνον τεράφε.
Ελεῶ, χάρις, ἃ τ' λέτα
Ἐκκλησίας ἀληθεῖ
Παρὰ ματέρι μένναν,
Εὐεργεσίας ἔπιδοσιν
Αἰὲν ἑτοίμᾳ χειρ' ἀφθόνῳ.
Γένῳ βορεᾶ πνοαῖσιν

Αντιστρ. β'. Κῶλ. ιά'.

Αμφὶ ζαμβρέοισι Σκώτων
Αρηϊφίλων κελαδεῖν
Σπυδάζει Στυαρπάδων
Εθάπαν, Αγγλων μετὰ παισὶ φίλοις,
Πᾶν ἀπὸ σαθέων
Βαρὺ ἔχθος ἀπωσάμθμοι,
Ἐξ ὃ λάβοντο κοινὸν
Δύο τἔνομα λαοί.
Δὴ τῦτο μάταν ἐπόνασεν,
Ος ποτε θνασοίσας σκᾶπτον ἔ-
λεν ἄφθιτον ἀντ' Ελίσας,

Επῳδ.

Επῳδ. β'. Κώλ. ιγ'.

Αγχίνοος γῆς Σκωτίκας
Λαγέτης, αὐτὸ ἢ δυοῖν σεφάνων
Τιμὰ φέλαμψε κάρανον.
Αλλὰ ποσσώειν Θεὸς οὐκ ἐθέλει
Πάσας μι ἀνθρώπῳ ἐνὶ μαχανάς·
Οὐδὲ λέλογχεν ἅτις αἰεὶ
Ολβιος ἔμμεν
Επ' ἔλπισι τέκμαρ ἀνύ-
ων. Αρχᾶα ἀλλαγεῖν μὴ
Ηθεα ἢ φρενὰς ἐμφυείσας
Δυσπαλές ϐστι.
Σοὶ Ζηνὸς βαλαῖς δὲ ἢ χερόνῳ,
Τρὶς-ποθατὸν ἔργον αὐπὺ

Στροφὴ γ'. Κώλ. ια'.

Εκτέλεσε κῆδος Αννας.
Θεῶν ταχὺ ἄγγελε, πῦ
Οὐλύμποιο τύρσιν ἰὼν
Δεῖξον Αννᾳ, (ἔνθα γὸ ἀμϐροσίαν
Αθανάτων Θεῶν
Πάρεδρος χαρίεσ' ἔδεται,)
Οἷον λέλοιπεν αὐτᾶς
Πόθον· εἶπα ἢ φερέτης
Εἰπεῖν ποτιχάρδιον ὄχλων
Χάρμα θριαμϐεύοντων, φερέθυ-
μον Αγεμόνων τε σπουδὰν

Αντισρ. γ'. Κώλ. ια'.

Ανδρα φερὸς πελώριον, ⓦ
Επεύξατο ἀφάδοχον
Εσλᾶ σὺν τύχᾳ λελαχεῖν.
Χαῖρε δ' Ω'ναξ, ἰέϊ σὺν κρατερῷ
Οὖ φέϐλεπτος ἰῷ
Αρετὰ, θοὸς ἵππος ὅταν
Σφαίρᾳ τυπεὶς μολίϐδῳ

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Πεδμάχοισι μιγήτα
Πίπθων πέλασεν χθονί. Τὸν δ' ἁ
Τάρβος ἔλεν· τοὶ γὰρ σάθεσι
Πατρώϊον ἀνδρόπατος

Επῳδ. γ'. Κώλ. ιγ'.

Σπέρμα γ' ἐνιῶν. Αλλ', Ω ἄγαθε,
Φαιδίμοι τοῖς ἴχνεσι πατρὸς ἕπου,
Τὸν Ρεῶν ἴδεν βαθυδίνης
Ταυτόνων βουλαῖσι σοφαῖσιν ἀνα-
σώζοντα γαῖαν, ἴδρειΐ τ' Αρεος·
Τῷ δ' ἀρετὰ, δίκα, πολύς τε
Πλοῦτος ὀπαδεῖ,
Κλέος τ' ἄγον ἀγλαΐαν.
Οἷος δ' ἔστι μιγῆναι ἐς αἰεὶ
Εὖ τε παθεῖν λαχοι δῦ τ' ἀκοῦσαι.
Τοῖσι δ' ἰανθεὶς
Υμνοις, ταῖς ἀοιδαῖς ἔπ' αἴσιον,
Παῖ Κρόνοιο, κλάγγε βεβυτάν.

Rog. Farbrother A. M.
C. C. C. Discip.

DUM gemit atroci perculsa Ecclesia Fato,
Dum miseris raptam *Te* dolet, Anna, modis,
Occidis ergo, inquit, Rerum Tutela Mearum?
Occidis, & nostræ nil valuêre Preces?
Ut puro enituit Pietas, *Te Principe*, cultu!
Floruit ut priscus Relligionis Honos!
Auspice *Te*, *Pauli* aërio stat vertice Moles,
Et celsâ æternum fulget in Urbe Decus.
At quis jam Delubra novo surgentia ritu
Condet? Divinus quem manet iste Labor?
Tu superes, Georgi, nostris fiducia rebus;
Tu Sacrum absolves, *Maxime Cæsar*, Opus.
Sic *Tibi* felici procedent omine menses,
Aureaque optato sæc'la tenore fluent:
Dumque Novos Templis, Georgi, moliris Honores,
Firmabit Solium, quam struis, Ara Tuum.

Edv. Prideaux Gwyn,
ex Ædc Christi
Sup. Ord. Commens.

FUnebrem Muſæ celebrate pompam,
Si modus veſtris Lacrymis daretur:
Fata Reginæ miſeranda luget
Omnis Olympus.
Arma deponit, gemituque magno
Mars ademptos conqueritur Triumphos:
Dura deſperat renovare bella
Alite fauſto.
Regna *Neptunus* marium quieta
Plorat, heu fœdanda nimis rapinis!
Hæret, an magnum gereret Tridentem
Robore vano.
Phœbus effuſo ſua damna narrat
Luctu; & *Alcides* gemit aſperè: ANNÆ
Occupat Terram imperio carentem
Lerna Malorum.
Nata miteſcit *Jovis*, & tenellis
Fletibus charam miſeratur ANNAM:
ANNA tractabat Populum ferocem
Palladis arte.
Mittite in veſtris Elegis Camœnæ
Aſperam ſortem *Britonas* gementes:
Tam graves veſtræ Citharæ querelas
Ferre recuſant.
Tu tamen vultus Populi madentes
Gaudio ſiccas nitido, novâque
Luce diſpergis tenebras *Britannas*
Maxime GEORGI.

Rogerus Bourchier A. M.
Coll. Vigorn. Soc.

ASſuetum in lacrymas ſolvat Gens *Anglica* robur,
Nam deflere æquum eſt, quod revocare nefas.
ANNA Suos liquit miſeros, nudoſque *Britannos*,
Heu! matura nimis cœtibus Umbra ſacris.
Externos Hoſtes crudeli Marte ſubegit,
Internos vero junxit amore Sibi.
Sic Victrix cunctos aut Bello aut Pace repreſſit,
Vel Pacare ſciens, vel Superare ſciens.

Jo. Burrell A. B.
è Coll. Mert.

ספדו תושבי ברתנך
ספדו ובכו מות מלכתכם
חנה נכבדה במלכות
חנה טובה בהנשיכם
מה יקרת ממלכת חנה
ומה מלאה נצח כלה
נצח והדרים היו
בה שלום ועשר כלה
חסתה באלהי ישראל
לעד הרים כבוד קרנה
הדבר צריה תחתיה
צוה מלאכיו על חנה
כן מלכנו דוד ושלמה
יראי לעד גבור המלך
שמים ככה ודבורה
כן מלכנו חכם ימלך
הוא יצמית כל רשעי ארץ
חשבי הרע לירושלם
ויכבד כבד כל טובים
בלבב כל שאלי לו שלם
אמת תצמח מברתנך
צדק ישקף ממרומם
ארץ זבת חלב ודבש
תהיה עד עולם עולמים

Gul. Wilkinſon, A. B. Coll. Reg. Scholaris de Taberda.

RItè labuntur Lacrymæ per Ora,
Et Manus ſparſos lacerant Capillos;
Ritè fingultus rapiunt premuntque
Pectora anhela.
Nempe Mors nondum ſatiata Stirpe
Plurimâ *Steuartiadûm*, rebelli
Impetu tandem in Sobolem ſupremam
Sæviit ANNAM.
ANNA Diis vovit Pietate Templa;
Hoſtibus victrix retulit Trophæa;
Pace felici ſociavit Orbem;
Jamque relinquit
Regna, Cœleſtes properans ad Arces;
Seu pium impellit Studium videndi
Conjugem raptum, exiguoſque Reges,
Pignora lecti:
Seu parùm caſtas miſerata Terras,
Poſtulat Cœlum, Precibuſque ſupplex
Suadet iratum Populo *Tonantem*
Ponere fulmen.
Cui Deus partes dabit Imperandi?
Ecce Regalis venit Hoſpes! Ecce
Divus haud Impar *Britonum* ruentem
Suſtinet Orbem.

Tho. Drake A. B.
Coll. Magd. Semicom.

CUM ſubeunt varii, Princeps Dilecta, Triumphi,
Quos toties egit, *Te* moderante, *Brito*;
Cùm ſubeunt tandem, exacti poſt tædia belli,
Quæ dederas Populis Otia grata Tuis:
Jure ſibi *Britones* plaudunt. Ubi quæritur Author,
Quæ tanta hæc tulerat Gaudia, jure dolent.
In luctum Fœcunda nimis, repetita Tuorum
Funera vidiſti, ſæpiùs Orba Parens;
ANNA, in *Te* ſolâ Domus occidit ampla *Stuartûm*,
Ille idem Tumulus *Te*que Tuoſque tenet.
Cùm tamen ANNÆ ingens damnum, GEORGI, Ipſe rependas,
Et Sobolem extinctam Prole repende Tuâ.

Edvardus Smallwell A. B.
Ædis Chriſti Alumnus.

Ad Celſiſſimum GEORGIUM Walliæ *Principem.*

SI qua *Tibi* blandi portent Suſpiria venti,
Lætitiam, ſi quos, inter plauſuſque, *Britannûm*
Aura ferat Gemitus, ſi triſti in murmure Nomen
Accipias ANNÆ, quanquam jam morte *Sophiæ*
Crudum vulnus habes, iterùm ſubmitte dolori
Corda, Tuis, *Princeps*, nec dedignare *Britannis*
Exiguum miſcere udi vectigal ocelli.
Ergò expectantem repetis comes ANNA Maritum?
Siccine cognatis properas numerarier aſtris?
O dolor! O decus! En! toties defuncta Triumphis,
Tot radiis famæ, tam largo inſignis honore,
Ducitur ad Superos: tardam procedere Pompam,
Pallenteſque Patres video, mœſtumque Senatum.
Ut reprimunt duros ſurgentia pectora Luctus!
Ut trepida ingeminant paſſæ Lamenta Puellæ!
Quàm vultus Dolor exornat! quo lumine Formas
Accendunt Lacrymæ! Sed jam fatale Sepulchrum
Excipit, atque avidis inhians amplexibus urget.
O ANNA! O veterum Domus inclinata *Stuartûm*!
Spargite purpureos Flores, decorate ſupremis
Muneribus præclaram Umbram; *Sibi* talia mandat,
Angligenæ, Noſtra heu non ampliùs ANNA! parari.
At quis, *Pacifico Princeps* deducte *Jacobo*,
Quis Populi exponet Plauſus, quis plena frementûm
Gaudia, cùm ſuperas nomen Patris impulit auras
GEORGIUS, & titulis tremuit latè Æthra receptis.
Non tali inſonuit *Tyriæ Carthaginis* Aula
Lætitiâ, Divæ Matris cùm nube relictâ
Reſtitit *Æneas*, clarâque in luce refulſit.
O GEORGI! *Britonum* Votis ſi flecteris ullis,
Si magnum cupis in flammas accendere Amorem,
Vince Tuis precibus Genitorem, aſcendere claſſem
Coge citò *Angliacam*; poſitas ſubmittet habenas,
Atque ſuis Dominum exponet *Neptunus* arenis.
Tum cinctus turbâ Auguſtum clamante Parentem,
Cùm denſam ingrederis comitantûm fluctibus Urbem,
Cùm feſtas audis voces, hominumque tubarumque
Ambiguos ſtrepitus, cùm ſummi culmina tecti,
Atque vias, cœlumque uno reſonare tumultu;
Tum videas, quanto Veſtræ diſcrimine Laudes

Aonios

Aonios ſuperant Cantus, & carmina Vatum.
Hîc ſeſe aëriis immiſcens nubibus Arcus
Regali ſurget pompâ; illic ordine longo
Heroes, veteris magna olim nomina Gentis
Brunſvici, & tot demiſſam per ſæcula famam
Cernere erit. Stabit Genitor fulgentibus armis
Cinctus, & exiguum per *Rhenum* porrigat agmen,
Languenteſque novâ informet virtute catervas,
Ipſe Acies; fruſtrà *Bavarus* perrumpere vallum
Audebit, fruſtraque ſuis ſe immittere regnis.
Te quoque quà placido volvit ſe flumine *Scaldis*,
Tela inter media, & pugnantes cominùs hoſtes
Aſpicies; quas *Tu* Strages! quæ Funera mandas!
Quàm veſtræ valuêre Manus! ſtupet ecce! recentem
Heroem miles; ſtricto *Churchillus* inhæret
Amplexu, & paribus mirans penè invidet Auſis.
Talem Empyræis *Michaël* ſe geſſit in arvis,
Quùm, femore eductus gemmato, flammeus Enſis
Spargebat lucem horrendam, latéque reductus
Luciferum medium venienti dividit ictu.
Parte aliâ niveos Regina Pecunia vultus
Emicat attollens; variis ibi mercibus auctæ
Innumeræ tendunt *Thameſina* ad litora proræ.
In medio, longè auguſto ſpectabilis ore
Libertas, magnâ Superûm ſtipata catervâ,
Inſolitùm ſpirans, & tanto læta Triumpho,
Incedit; Veſtrum *Britones* agnoſcite Numen.
Sic poſt *Actiaci* reſtincta Incendia Belli,
Sacra triumphali invectus *Capitolia* curru
Ingreditur *Cæſar*, feſto undique mœnia plauſu
Pulſa ſonant, pictæ referunt de more Tabellæ
Devictas Acies, pugnataque in ordine Bella.
Dii patriæ Indigetes, quibus eſt *Brittannia* curæ,
*Edvardi Henrici*que, olim decora alta parentum,
Hunc ſinite *Angliacæ* longùm invigilare Saluti.
Sic, precor, O Superi, venturos GEORGIUS annos
Exigat, & ſimili decurrant ſæc'la tenore.
*Tu*que O! quem dudum properantes ſtamina Parcæ
Invidêre Tuis, magni nunc Sydus Olympi,
Tu Pater *Angliadum*, *Tu* noſtræ *Romule* Gentis
Naſſaïdes, lætam felici numine Pompam
Aſpice, & hæc nobis Author Tua Munera firma.

Carew Reynell Coll. Nov. Soc.

USque adeò inſtaurat plures *Libitina* Triumphos
Indomitam exercens rabiem? Modò Principis almæ
Flevimus ingenti Regalia Funera luctu,
Et vix effuſos oculis abſterſimus imbres:
Cogimur en! iterum infandos renovare dolores,
Vulneraque infelix graviora *Britannia* ſentit.
Cùm ſiluit clamorque virûm, clangorque tubarum,
Atque omnis belli latè deferbuit ardor;
Cùm poſuit ſcutum, & vaginâ condidit enſem
Fulmineum Victor, variiſque laboribus actis,
Compoſuit vultum tranquillâ pace verendum:
Lætos ire dies, & amicâ luce ſerenos,
Et fore durorum lenimen dulce laborum
Spes erat; heu fruſtrà! Tempeſtas ingruit atra,
Noctem hyememque ferens, regnatque inamabilis horror.
Non ultrà Heroum decorabunt Tempora Laurus
Fronde triumphali; ramum felicis Olivæ
Funereæ fœdant Taxi, nigræque Cupreſſus.
Cùm placidas miſit Gentes ſub legibus ANNA,
Pacatumque regens patriis virtutibus Orbem,
Felici *Anglorum* Populo longa Otia fecit:
Fruſtrà Turba favens veneratur Amabile Nomen,
Et Sacro Capiti meritos indicit Honores,
Dum jacet in mediis (proh triſtia Fata!) Triumphis.
O! ſi ſentirem flammas, geniumque *Maronis*
Pectore, nec tanto foret impar Muſa labori;
Attonito, Regina, Orbi Tua facta referrem,
Nec veniente die, nec decedente tacerem.
Quàm ſincerus Amor Patriæ, Verique cupido,
Et Pietatis honos Regalia Pectora movit!
Te Duce, Tartareas vires *Eccleſia* vicit,
Et caſus omnes & inexorabile Fatum
Subjecit pedibus, proprioque refulſit honore.
Te Duce, cefferunt inamœnâ fronte minaces
Eumenides, dulcique aſpectu Virgo beavit
Pacatas terras; proceſſit amabilis ordo
Annorum, & riſit facies pulcherrima rerum.
Felix, heu! Nimiûm felix foret *Anglia*, & ingens
Imperii Columen, *propria hæc ſi Dona fuiſſent*.
Hactenùs indulſit gemebundis Muſa querelis,
Flebilibuſque Modis decoravit Regia Buſta:

Jam

Jam nimios ponat Gemitus, vultumque ſerenet
Sollicitum, Regique paret ſtudioſa Coronam.
Non *Britonum* uſque adeò tenues Spes Omnis in auras
Vaneſcit; ſurgit Regni non Degener Hæres,
Qui præbet lapſis Solamina dulcia rebus,
Qui mulcet curas, & corda oblita dolorum,
Imperiique reget leni moderamine habenas.
Ornabit Vultum Majeſtas quanta verendum!
Qualis honos Fronti Auguſtæ, Quæ gloria ſurget,
Cùm Solium aſcendens Geſtamina Regia ſumet;
Cùm Procerum generoſa Cohors, & blanda Corona
Nympharum expleri nequeunt, ardentque tuendo!
Hæc ſunt Vota Patrum, Vota hæc ſunt, *Anglia*, Plebis;
Aſcendat ſerus cognati limen Olympi
Princeps, & longum Vita extendatur in ævum:
Hinc Nubes Cœlum contriſtet nulla ſerenum,
Hinc ſe diffundat niveis Concordia pennis,
Et ſecura Quies, & pleno Copia cornu.

Ed. Owen
Coll. Div. Joh. Bapt. Schol.

NON ridet uſque, aut perpetuum jubar
Diffundit Orbi *Phœbus*; & æquora
Non ſemper agnoſcunt benignam
Temperiem, facileſque ventos.
Fortuna Gentes, mollibus otiis
Fruſtrà repôſtas, atque *Britanniam*
Fruſtrà refulgentem Triumphis,
Verſa retrò, malefida vexat.
Repoſcit Annam mœſta *Britannia*, &
Deos Querelis, nunquam adeò feros,
Laceſſit, æternùm maligni
Perfidiam dolitura Fati.
Inſigne Sexûs fœminei Decus,
Regnare nata, & Gloria Sæculi,
Princeps, adorantiſque Mundi
Deliciæ, *Britonas* reliquit:
Qualis Miniſter, cui Deus aureum
Commiſit Aſtrum, & conſtituit Ducem,
Relinquit Orbem deſtinatum,
Juſſa Deorum aliò ſecutus.

Sed neſcit ANNÆ Fama ſequentibus
Perire ſæc'lis, debita plurimis
Virtutibus, quas Solus æquat
GEORGIUS, & ſuperare tendit.

Sam. Hayward A. B.
è Coll. Magd.

DUM gemit abreptam pullata *Britannia* Divam,
Atque ingens torquet Martia Corda Dolor.
Intereà ſocias miſcens *Rhedycina* querelas,
Præſidio Sacræ flet viduata Togæ.
Phœbi docta Cohors meritos inſtaurat honores,
Funereoque affert Dona ſuprema Rogo.
Hic Bella, Hic claros geſtit narrare Triumphos,
Hic Pacis placidæ Munera grata canit.
Ille refert verſu ſurgentia Templa perenni,
Puræque ut viguit Relligionis Amor.
Quin triſtes Elegos inter, Pæana recepto
Concinat *Aonidûm* turba novena Duce.
Ecce! venis GEORGI, noſtri ſolatia luctûs,
Accipis & forti Sceptra *Britanna* manu.
Tu multâ raptos compenſas Prole *Stuartos*,
Extinctæ & reparas Funera mœſta Domûs.
Soſpite *Te*, lætas decorat Pax aurea terras,
Atque iterùm placidos cernimus ire dies.
O! quàm gratus ades, Quem non Natalia Regna,
Non Puero noti detinuêre Lares!
Oſtendit Patriæ diſceſſum flentis Imago,
Gaudebit quantum *Te* veniente *Brito*.

Tho. Foulkes A. B.
Ædis Chriſti Alumnus.

PErpetuò Miſeri fatis agitamur iniquis,
Uſque madent Fletu Lumina feſſa Novo.
Infandos olim deflevimus, ANNA, dolores,
Quos *Tibi* non paucos turbida Vita dedit:
Nunc *Tibi* Mors felix, nobis parit Ipſa querelas,
Et mœſtis lacrymas, ANNA, Beata moves.
Te Terræ invidit Cœlum; nunc Terra viciſſim
Te pariter Cœlis invidet orba Tuis.

Jo. Walſall A. B. è Coll. Univ.

ΑΜΑΡΥΛΛΙΣ.

Μενάλκας. Δάφνις.

Μεναλκ. ΔΑφνιν ἰδεῖν χαίρω λιγυρᾶς δεδαιμμένον ᾠδᾶς,
Δάφνιν μελπομμένοις ϖᾶσι ποιμέσι πρᾶτον ἐόντα.

Δαφ. Τίπτέ μοι ἐμπαίζεις τοῖς σκώμμασι σεῖο, Μενάλκα;
Αγρίκως ᾄσαντος ἀκούει ἁ Γαλάτεια.

Μεναλκ. Ουχί σοι ἐμπαίζω· τὺ ϑ' βωκολιάσδεο, Δάφνι,
Τοὶ τ' γέρας ταύτᾳ δωτεῖ σύριγξ α Μενάλκας.

Δαφ. Ης χρήνᾳ ἀνίχ' ἐγὼ τοῖς ποιμέσι πᾶσιν ἀείσας
Ηνδανον, αὐτὰς νιῶ παρέβα χρήνᾳ ἄμμιν ἀείδεν·
Τεθνακυῖ' Αμαρυλλὶς ἀειδέμμᾳ ὐκ ἔτ' ἐάσει.

Μεναλκ. Ου θέμις ὑμνᾶσαι ϖεκαλλέα τὰν Γαλάτειαν,
Δεῖ δ' ἄς ἐπαίζειν Αμαρυλλίδι τεθνακυίᾳ,
Ητοι τᾶς ᾠδᾶς γένετ' ἀξία, τᾶς δὲ γοώδεος.

Δαφ. Εκ τινὸς ἀρξόμμαι; παρ' ἐμοὶ γὰ μύεια εἰπεῖν,
Αϖ' οἴων ἕνεκα σφετέρων ἐπόνησ' Αμαρυλλίς.
Ου χρὴ κοιμᾶσϑ τά νυ πώεα καλὰ νέμοντα,
Ομμασιν ὐ ϖεσσεδέξαϑ' ἑοῖς Αμαρυλλὶς ἄρ ὕπνον
Τᾶς ἐφ' ὅταν γαίας λάμπεν φάος Ηελίοιο.
Πῶς γέ νιν ἐκπονέοισαν ἴδον τὺ μεσάμβρινον, αἶγας
Η ὄϊας καταλεξάμμᾳαν ὑπὸ τᾷ πτελεάων,
Ως ἀπὸ καύσωνος φοίβα κακὸν ἔπι πάθοιεν;
Ην δ' ἔρῃ δέ τινας παρ' ὁδὸν μάλα κεκμηῶας,
Βασάζεσ' ἐνὶ κόλπῳ ἐῷ τάχα δ' ἦρε ποτ' αὐλάν.
Τιύαν μὰν ϖᾶσαί πάσ' ὄϊες, τιύαν ϑ' βόες τε,
Τιύαν ϖὶ δάμαλοι, ὲ πόρτιες ὠδύραντο.
Ω χαρίεσσ' Αμαρυλλὶ, σέϑεν κηδείαν ὀρῶντι
Ομματα πλησιύϑη, καρδία τε μοὶ ἔνδον ἀνίας,
Ωλετο νιῶ Αμαρυλλὶς, ἐμοὶ ζῆν ὐκ ἔτι περπνόν.
Τίς ποτε Δαιμοίτᾳ τᾷ ποιμᾷ ἐδέσματ' ὀπάσει;
Τύ γ' ὄϊας τ', ὄϊων βώτας τ', Αμαρυλλὶ, φίλησας.

Οσσον ἔαρ χειμῶ⊙, ὅσον θρὸς φερτέρα τ' αὐτὴ
Τᾶς ἰτέας, ὅσσον τε ὄϊς λασιωτέρη ἀρνός,
Τόσσον ἐμ' ὔφρηνας ὁπότ' ἄν γ', Αμαρυλλὶ, φανείης.
Αλλὰ μὴ εἰς ἀΐδαο πύλας καταβᾶσα τοῦ ὤρας
Αμμε λίπες συγνὼς, ὅπ ὲ δυνάμεσθα διώκειν.
Ωσε γὰ Ηελίε δυνόντ⊙ ἐς Ωκεανοῖο
Τὸν κόλπον, νεφέων ἐρεβεννῶν πάντα καλυπτᾳ,
Ανθεα τ' ὄπι τάχισα τὰ πένθιμα ἐξεμαρώνθη,
Νεῶ τ' ῥόδον κεφαλὰν ἐγκλίνῃ, νεῶ ἀνεμώνα·
Ουτως πάντ' Αμαρυλλίδ' ἐπαγάζοντι θανοίσᾳ.
Ηὖ' ὄϊες πᾶσαι μεμνημένᾳ ἐχὶ βοτοῖο
Στήκαντ', ὐδὲ ποτ', σοὶ ἐπαγάζεσ', Αμαρυλλί.

Μεναλκ. Τοὶ, καλὲ Δάφνι, χάειν θυμῷ ἐθέλοντι ὀπάζω,
Οσσ' ὠδ' ἢ λιγυρὴ θνητὰν Αμαρυλλίδα πίσας.
Ηνὶ ἦ, τὺ σύριγγα καλὰν λαβὲ, κἠ νεοτεύχη,
Καὶ μὴ ἔπειτα κλέ⊙ τῶ ἀγαυῶ Θύρσιδ⊙ ὑμνῶν
Ου σύριγγα μόναν, ἀλλ' ἆθλον ἄμεινον ἀποισῃ.

Carew Reynell A. B. C. C. C. Discip.

IRE iterum in lacrymas, iterum renovare dolorem
Cogimur, heu Populus fatis vexatus iniquis!
Vix benè defletus Consors, Tua funera luctus,
ANNA, vocant: Luctus! parva heu solatia Damni!
Sed quos nunc Cineri meritos libemus honores?
Aft *Tu*, quæ nunc sola manes de funere tanto,
Tu felix Anima, ac optati corporis umbra,
Despicias miseros populos, Hos accipe fletus.
Te dolet infelix Tellus, *Te* Patria luget,
Præsidio privata Tuo, laniata capillos.
Ergone perpetuus pallor Tua possidet Ora?
Heu frustrà pro *Te* Superis pia vota precesque
Fudimus! O matura Deis, *Te* Fata reposcunt!
Te Pietas, casti Mores, & debita cœlo
Virtus, eripuit terris, meritamque locavit
Sedibus æthereis; studiis, pia turba, *Britanni*
Prosequimur; felix Populus *Te* Sceptra tenente,

Heu

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Heu nimiùm felix! Quærit nunc *Anglia* lugens
Amiſſam, quærunt raptam *Te* Templa Parentem.
Parce tamen lacrymis, mœſtas abrumpe querelas,
Anglia; Namque, ANNA avulſâ, *non deficit Alter*
Aureus, & ſimili gaudebunt Regna Parente.
GEORGIUS abreptam ſequitur, non Degener Hæres;
ANNÆ ſuccedit Pietate inſignis & Armis
GEORGIUS; *Ille* dabit ſua Jura, & Templa *Britannis*
Tuta ſuis; & erit cur *Te* minùs ANNA requirant.

Orlandus Bridgeman è Coll. Nov.
Sup. Ord. Commenſ.

CUM Populis Bello aſſuetis dedit ANNA Quietem,
Et placidæ affulſit facies gratiſſima Pacis,
Cognatoque Polo cœpêre aſſurgere Templa,
Occidit ANNA, Sacræ nimiùm matura Coronæ,
Flebilis & ceſſit properanti Victima fato.
Quis ſua jam lacrymis turgentia lumina tollat,
Principis & raptæ Sydus ſpectare benignum
Suſtineat? Divûm ſuperaddita Gaudia Cœtus
Accipit exultans; *Carolus* ſua Brachia tendit,
Lætatuſque avidè propiorem amplectitur ANNAM.
Nos verò intereà ad reſonantia ſaxa queramur;
Hæc quoque habent lacrymas, alieno mœſtaque luctu
Certatim Guttas ſtillant. Non læta Juventus
Pulſat feſtivis depreſſam ſaltibus herbam,
Nec Cœlum plauſu, nec Terram calce ſonoro
Vivida Nympha ferit, ſpinosâ at faucia curâ
Mœſta legit taxum, & loca devia planctibus implet.
Urbes, quæ ſolitæ mediâ ſplendeſcere nocte,
Atque ipſum Solem majori vincere luce,
Jam Luctum tenebris, pullatâ & veſte fatentur.
Sed cohibet Populi creſcentes ANNA dolores,
Et ſuadet fletu ceſſare, & *Rege* potiri.
Præſens *Angliacis* properat ſuccurrere Rebus
GEORGIUS; æqualis Cui Gentis cura *Britannæ*.
At Tu, fida Ratis, quæ portas Munera Divûm,
Conſerves Animam *Britonum*; ſit conſcia curæ
Unda: Sui Domini teſtatur Pontus Amorem,
Et Placidi ſpirant felicia flamina Venti.

Geo. Knibb A. B.
Coll. Magd. Semicom.

PAcis vix noſtram Lux alma beaverat oram,
Telaque vix fuerant compôſta calentia cæde;
Cùm ſubitò infandos renovat Libitina dolores,
Atque uno *Britonum* ſpes omnis concidit Ictu.
Heu! Decus *Anglorum*, ſola atque relicta *Stuartûm*
Interiit! pereuntque Salus & Gloria Regni!
Quò rapior Luctu? Satiet non tollere Fructus
Te, Dea crudelis, ſed & Ipſam vellere Vitem?
Præſidio viduata Tuo *Te* Patria luget,
Cingit &, abreptâ Lauro, funeſta Cupreſſus
Triſte caput; minùs haud Obitum flet *Gallia* victa,
ANNA, Tuum; (meruit ſic, ſic clementia tanta!)
Lapſuri Stator O Regni, Digniſſime GEORGI!
Hùc Tua *Te* Virtus mœſtam ſuccurrere gentem
Impulit, Auſpicioque graves avertere curas.
Fratres *OEbalii* alterno ſic Lumine gaudent,
Et, *Phœbe* extinctâ, reſplendet in æthere *Phœbus*,
Qui jubare exorto diſperget nubila fletûs.
Macte *Pater Patriæ*! atque Hoc omnis Factio jungat
Divos expetere; Ut ſemper ſit chara *Britannis*
Fama ANNÆ: Ut diuturna *Tibi* ſint Sceptra, GEORGI.

Gul. Pavey

è Coll. Trin. Socio-Commenſ.

DIlecta Princeps, illacrymabili
Abrepta fato, quos gemitus Tuis
Cies *Britannis*, quàm Camœnis
Triſte miniſterium relinquis!
Te, Diva, Reges Barbarici gemunt,
Te qui profundum *Danubium* bibit
Germanus acer, *Te* remotus
Luget *Iber*, *Rhodani*que potor.
Sed quis *Britannûm* flebilibus Modis
Æquet Dolores? Cùm populus frequens,
Ceu natus in charæ parentis
Interitu, foribus Palatî

Mœrens

Mœrens adeſſet, rebus in arduis
Omnes vocarent cùm trepidi Deos,
  Tuaſque virtutes referrent,
    Ut miſerans inopes dolebas,
Ut *Tu* puellas & pueros pio
Sumtu fovebas, Sanctaque per vias
  Delubra moliri parabas,
    Non humili decoranda ritu;
Cùm Plangor ingens è penetralibus
Fertur ſub auras, Occidit, Occidit
  Divina Princeps ! ut reſultant
    Atria fœmineo tumultu!
Eheu! Quis Heros, Quis facilis Deus
Vires *Britannûm* mentibus anxiis
  Reducat, & firmet labantem
    Auſpiciis Patriam ſecundis?
Quis ille teſtis lætitiæ ſonus
Invadit aures? Quæ nova gaudia?
  Vides, ut incedit triumphans
    Ordo Patrum, Procerumque ad Urbem,
Et Civium ingens Turba faventium?
Auditis? en! per culmina, per vias,
  Per fluminis ripas GEORGI
    Accipio populare Nomen!
Salve, GEORGI, Præſidium unicum
Orbis *Britanni*: Nomine amabili
  Thule renidet, Ultimæque
    Orcades intremuêre Plauſu.
Afflicta duris caſibus, *Albion*,
Attolle cœlo turrigerum caput,
  Tuumque per fluctus, frementes
    Lætitiâ, Dominum tuere
Plenis petentem candida litora
Velis, ut omnes eximat ocyùs
  Luctus, & inviſos timores
    Sollicitis animis Suorum.
Ire *Hic* jubebit per mare navitas
Tutos, ut olim, & Templa micantia
  Attollet, æternamque reddet,
    ANNA, novam, Tua Dona, Pacem.

Geor. Wigan Ædis Chriſti Alumnus.

Defunctæ Reginæ *Umbra ad* REGEM.

U. MOrtis ſeveræ dira Neceſſitas
En! Me *Britannis* eripuit Meis:
Quin Luctus abſit, cùm gerenda
Sceptra *Tibi* moriens relinquam.
Quantam feroces, *Te* Duce, milites
Stragem ciebunt! Qualia poſteri
Dicent Poetæ, *Te* canoris
Materiem faciente plectris!
R. Dum volvit undas in mare cœrulas
Turbatus *Iſter*, dum memorabiles
Hocſtadiæ campi vireſcunt,
Non penitùs morietur ANNA.
Te laude dignam carpere lividas
Obliviones *Angligenæ* vetant;
Nec Verſu inornatos fileri
Muſa Tuos patitur Triumphos.
U. *Te* bellicoſum pectine conſono
Canunt *Stuarti*, Diis decus additi,
Ducumque feſtivis choreis
Magnanimæ celebrant catervæ.
I, Magne Princeps, en! *Tibi* ſubdita
Tuis pateſcunt Claſſibus Æquora;
Abeſſe *Te* longùm queruntur
Solliciti *Britones* Parentem.
R. Et *Te* requirunt ſolliciti, prece
Heu nunc inani! *Tu* Populum tamen
Deſpecta Olympo, Diva, noſtris
Uſque favens vigil Umbra Cœptis.
Sic *Roma* crevit, Conſiliis potens
Belloque victrix; Gloria ſic *Numæ*
Inclaruit, pandente leges
Egeriâ, veniens in ævum.

Ric. Banner è Coll. Reg.

Sup. Ord. Commenſ.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

CUM mœſti Heroes languent, & frontis honores
Marcentes ponunt Laurus, Eccleſia blandam
Cùm luget Matrem crudeli funere raptam:
Si Sacras Animas cœleſti ſede receptas
Humani tangant Caſus atque aſpera Fata,
O! propiùs noſtris, *Regina*, laboribus adſis,
Et capias Luctus, & Dona extrema Tuorum.
Quæ Regio in terris noſtri non plena doloris,
Cùm vel durus *Iber* ſentit ſub pectore vulnus?
Quin & *Celta* gemit, madidoſque incuſat Ocellos.
En! *Britonum* Natæ, funebri veſte decoræ,
Et triſti vultu, Regalia Buſta frequentant;
Nec pigeat Dominæ ſupremum ſolvere honorem
Manibus Auguſtis, & inani Munere fungi.
Quàm duros gemuit miſeranda *Britannia* Caſus,
Lugens mille modis, curiſque ingentibus ægra!
Jam licet afflictis rebus ſperare Salutem,
Nec ſemper rigidum ſervabunt Fata tenorem.
Diverſæ ſurgunt ſcenæ, & novus ordo dierum,
Qui tenebras almâ radiantes luce fugabunt.
Sic quando *Heſperias Phœbus* deſcendit ad undas,
Regnat ubique Horror, terris Nox incubat atra:
Sed quoties Cœlum renovato Lumine fulget,
Optatuſque dies roſeo procedit Olympo,
Dulce levamen adeſt miſeris, atque Omnia circùm
Lætitiam invitant, & rident fronte ſerenâ.
Non ultrà inſano juvet indulgere dolori,
Principe cùm tantâ abreptâ *non deficit Alter*
Aureus, *Anglorum* Patriis virtutibus Orbem
Qui regat, Imperiique diù moderetur habenas,
Feliceſque dies atque Aurea Sæc'la reducat.

Rob. Burd A. M.
Coll. Vigorn. Soc.

IMmodicis ANNAM lacrymis cur, *Anglia*, luges,
Tutelarem *Illam* nunc habitura Deam?
Quæ fatis dudùm Te rexit Viva ſecundis,
Defuncta Auſpicio Te meliore reget.
Rex ità ſtruxiſti ſurgentis mœnia *Romæ*,
Sed cùm firmares, *Romule*, Divus eras.

Joh. Richardſon
è Coll. Univ. Commenſ.

ANNA Tuis dilecta nimis! chariſſima Mater!
Deliciæ *Anglorum*! *Te* decedente, querelis
Quis modus? Ecquis erit doctus compeſcere mentis
Inſanæ rabiem, atque altos ſedare dolores?
Ecquis erit, lapſas qui jam inſtauraverit horas,
Quas ſub Veſtrâ olim felices egimus Umbrâ?
Quùm toties Aris ſecuri indulſimus, ANNÆ
Auſpiciis pariter freti, Exemplumque trahentes.
En *Illum*! *Eois* Qui jam novus Hoſpes ab oris
Litora noſtra petit, vultuque ſalutat amœno;
Conſilio atque Annis plenus; tractare peritus
Imperii lora, & gnarus componere motus
Effrænis populi: felix & amabile Nomen
Georgius Angligenis. Quidni ridentia cuncta
Augurer! hinc nobis auſim promittere longo
Ordine tranquillos, ſeriſque Nepotibus, annos.
Quàm Facilis, quàm Juſtus eras, *Germania* luctu
Teſtatur ſubmerſa; *Tui* nam triſte relictis
Feciſti deſiderium. Quin *Anglia* tantæ
Conſcia virtutis, ſimilem concepit Amorem,
Juratoſque pari cultu perſolvit Honores.
Salve Magne Pater, Quo non inſtructior alter
Servare incolumes Leges, & avita tueri
Templi Jura, fovere pios, arcere profanos,
Non minùs Imperii veſtri, quàm Numinis Hoſtes.
Magne Pater ſalve, & nobis Ea Vota ſecunda.
Dejectos iterum En! rediviva *Britannia* vultus
Effert, &, quantum ſalvâ Pietate licebit,
Dediſcit Gemitus, neque Cœlis invidet ANNAM.

Gul. Norris A. B. Coll. Trin. Schol.

Ad Regem.

DUM fato crudeli ANNAM gemit *Anglia* raptam,
Et nimiùm properos flet *Rhedycina* Rogos:
Maturum ad Cœlos reditum *Tibi* gratulor, ANNA,
Et, GEORGI, dextræ Sceptra parata Tuæ.
Namque quid optari potuit felicius? *Anglos*
GEORGIUS in Terris protegit, ANNA Polo.

Franc. Tarburgh è Coll. Univ.

NE ſit Dolori, neu Lacrymis modus:
ANNAM cadentem plange *Britannia*,
Et Te Ruinæ jam propinquam,
Numina nî faveant benigna.
Tu, *Chame*, mœſtis murmuribus fluas;
Iſiſque, plores blandiùs *Orpheo*,
Plutona quùm mulcens ferocem
Eurydicen revocavit Orco:
ANNAM reducat ſic Citharæ ſonus;
(Dignos reducit nam Citharæ ſonus)
Longumque floreſcat per ævum
Perpetuis renovata Muſis.
At Quis Labori ſufficit inclyto?
Eludet Artem Luxuries nocens:
Sic ſtravit Ubertas Ariſtas;
Sic numeris perîêre Turmæ.
Quæ Pompa vocum? Quis vigor Ingenî
Dignos Triumphis eliciat modos,
Quos egerit *Churchillus*, ANNÆ
Auſpiciis animoſus Heros?
Teſtis ſtet *Iſter*, Sanguine tardior,
Quùm Copiæ juſsêre *Britannicæ*
Amnem per obſtantes acervos
Purpureo fluitare rivo.
At Tanta chordas exuperant leves;
Nec Læta mœſtis conveniunt modis:
Tu plange Mortalem, Camœna,
Mitte aliis celebrare Divam.
O ANNA Princeps Orbis, & *Angliæ*!
Te Teutoni acres, *Te* gemit *India*:
Te Cantabri, *Celtæ*que plorant,
Quam poſitis coluêre Signis.
At quis *Britannos* excruciat Dolor;
Altis Querelis dum quatiant polos,
ANNAM requirentes ademptam,
Grande Decus, Columenque Rerum?
Eheu! ſerenos credidimus Dies
Læto per Annos volvier Ordine;
Jam Pace terris reſtitutâ
Arbitrio Moderantis ANNÆ:

At ingruenti Turbine ludimur;
Cœlum renidens nam furit imbribus;
Et Lux recedit — Sed recedit,
Ut decoret potiora Regna.
Has dum Tenebras planxerit *Anglia*,
Æther renato Lumine fulgurat:
Sol alter avertit procellam,
Noſque fovet recreante flammâ.
GEORGI, *Britannis* Nomen amabile!
Tu Nos labantes Numine protegas:
Et Sceptra Fatis ANNÆ adempta
Tu Parili moderere Laude.

Th. Standen Coll. Univ. Schol.

JAm Satis noſtræ, Nimis ah! dolorum
Inſulæ miſit Pater; &, cruento
Regias dùm Mors pede pulſat arces,
Terruit Urbes;
Terruit Gentes; Viduata turba
Dant pias *Angli* lacrymas: *Hiberni*
Flent inexpletùm, Socioſque miſcet
Scotia Luctus.
Tuque conſueto propè qui recentem
Laberis curſu Tumulum, remotæ
Fac ſciant gentes, tua Quæ videbat
Funera Lympha;
Fac ſciant noſtras, *Thameſis*, Querelas,
Quas lavat terras Maris æquor; omnis
Soſpitem Portus modò *Quam* timebat,
Flebit ademptam.
Quin citis alis pete, Fama, REGEM,
Et refer ſortem miſeram Suorum;
Se Suis ingens Decus & Levamen,
Dic, age, reddat:
Diſſitis quâ Spe malè detinetur
Finibus? Magnos amet hîc honores,
Hîc amet longùm Populi potentis
Fræna tenere.
Sic Querelarum facilè abſtinebunt,
Et Modum ponent lacrymis *Britanni*;
Dùm Sacrum *Princeps* decoret Tribunal
Alter ab ANNA.

Theophilus Leigh A. B. C. C. C. Diſcip.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

EUropa Belli laſſa furoribus,
Vix Pacis almâ mollitie vigens,
Armiſque compôſtis, Benignæ
Auſpiciis requievit ANNÆ;
Vix Nauta tutis Claſſibus ultimos
Inviſit *Indos*, dives & aureâ
Prædâ reverſurus, nec hoſtem,
Præter aquas ſcopuloſque, novit;
Cùm jam ſupinæ triſte *Britanniæ*
Impendit Aſtrum; Saxaque candidos
Mutant colores, & Triumphos
Funeribus *Libitina* miſcet.
Poeta quondam pingere Prælia,
Victas & Urbes ſuetus, amat graves
Mœſtus Camœnas, atque Honores,
ANNA, Tui decorat Sepulchri.
Iſis ſilenti flumine labitur,
Vultum recondens, & malè languidas
Vix mittit undas, quæ Parenti
Oceano referant dolorem.
Non ſic recurrens attonitas aquas
Tiber profudit, *Cæſare* mortuo,
Cùm Templa *Veſtæ* ſtrata texit,
Et Veterum monumenta Regum.
Sed Res *Britannûm Jupiter* aſpicit,
Et ponit Iras heu! nimiùm graves,
Auditque creſcentes Querelas,
Pollicitus meliora fata.
Sceptrum relictum GEORGIUS excipit,
Illuſtre Gentis *Saxonicæ* Decus,
Mixtamque viſens Prolem Avorum,
Imperio facili gubernat.

G. Burton

Coll. Magd. Semicom.

Sæpius avulſas hoſtili vertice palmas,
Bellaque felici cecinerunt omine geſta
Aonius Vatum chorus; hic fuit omnibus olim,
Hic ſolus labor, ANNA diù victricibus armis
Dum debellaret tumidos infenſa Tyrannos.
Mox ubi Bellorum tandem filuêre tumultus,
Et Pacis legem *Europæ* dedit ANNA roganti,
Anglaque ad *Auſtrales* Commercia protulit Oras;
Quàm jucunda etiam lætis fuit inde Camœnis
Materies! Pacem quoties cecinêre Poetæ,
Felicemque æquis ANNÆ ſub legibus Orbem!
Ah rerum incerti eventus, & lubricus ordo!
Maxima quàm ſubito turbantur Gaudia motu!
Illa horum felix caput & pia cauſa Bonorum
En! morbo jacet & curis ingentibus ægra,
Quamque dedit grato Populo, caret Ipſa, Salutem.
Attoniti rumore fremunt per compita Cives:
Et trepidi Proceres ad Regia Tecta frequentes
Approperant, duroſque prementem corde dolores
Circumſtant mœſti Dominam: memor *Illa* ſuorum
Extremâ jam in morte, inopes ſolatur, & infit;
"Quam pro *Me* geritis, Patres, fidiſſima corda,
"Ponatis curam; Noſtri jam Terminus ævi
"Certus adeſt.—Unum hoc moneo moritura, precorque,
"Conſulite in medium Unanimes; Gens tota recumbit
"In Vos inclinata.
"Jam mox *Ille* aderit, Noſtri Succeſſor & Hæres
"Imperii, Cui Sceptra æquis ſunt debita Fatis,
"Concordeſque reget nullo diſcrimine Cives
"GEORGIUS, inſignis pariter Pietate, vel Armis.
"Hic Vir, Hic eſt, Tibi Quem, ter felix *Albion*, optas,
"GEORGIUS Auguſtus? Noſtrum Genus: aurea rurſus
"Sæcula Qui condet Nobis regnata per arva.
Tantum effata, oculos mediâ jam in morte natantes
Ad Superos fixa attollit, gemituque filenti
Efflat dulcem Animam; Teque alma revifit *Eliza*,
Teque, *Maria* Soror, notas Virtutibus Ambas,
Et ſedet inter Utramque Hoſpes gratiſſima Divam.

Tim. Thomas

Ædis Chriſti Alumnus.

לבשה מלכת צדק
במכלולים בעת חייה
בטוב את ים ואת חלד
בכל ברכה ואת עמה
בכנפיה צדקה הן
אשר יש מלאך מלכה
סבלתה אלי מושב
אלהים מאשר באה
מנוחה נתנה לנו
ומלכת היתה שלום
ונה הא מלכה מעלה
בשלם עם אבי שלום

Jac. Stephens A. B. è C. C. C. Diſcip.

O Navis, GEORGI cui credita Cura, *Britannis*
Quas debes! quas Te Patria poſcit opes!
Non *Indum* defers Aurum Gemmaſve; ſed Auro,
Sed quod onus Gemmis *Anglia* pluris habet.
Quin Tu nil puppi, nil textis abiete coſtis,
Nil tenui velo, Navis amica, time.
Æolus En! reliquas frænans in carcere, ſolvet
Quæ fuerit Velis blandior Aura Tuis.
Ipſe novum agnoſcit Dominum *Neptunus*, &, undis
Pacatis, certum diriget æquus iter.
I Navis ſecura, oriſque allabere notis,
Ocyùs Incolumem litore fiſte Ducem.
Sic olim optivo creſcas cognomine GEORGI,
Sic Tibi ſit per aquas tuta frequenſque Via.
Sic tandem magnis pelagi defuncta peric'lis
In cœlis *Argo* proxima, Parque mices.

Johannes Whittington
ex Æde Chriſti, Sup. Ord. Commenſ.

Thyrſis. Damon.

Thyr. TOlle è rorifluo languentia gramine membra,
Infelix *Damon*; Cauſam narrato roganti,
Cur tales Fluvios Lacrymarum fundis Ocellis
Lugens ex madidis, gemituſque è pectore ducis?
Fiſtula cur intacta manet, Pecudeſque relictæ?
Quæ campos circa incultos, Paſtore carentes
Cauto, balantes errant, facileſque rapaci
Prædæ extant Vulpi. *Dam.* Pereant indigna Salute
Armenta, & Calamus. (Pecudes quid, ſive Cicuta?)
Cùm pulchra inferno cecidit *Miranda* Tyranno.
Umbra ſilens ſalve, & (ſeu gratâ ſede Bonorum
Elyſio frueris, ſeu Præſes ſacra *Britannis*
Invigilas) libeat paulùm huic attendere *Voto.*
Thyr. Deſiſte à *Voto* & lacrymis. *Da.* Mea Dextra Cicutam
Jucundè nunquam tanget, nec Rura placebunt
Quondam grata; mihi in Lacrymis Nunc ſola Voluptas.
Plangatis reſonis ſylvæ fluviique ſuſurris,
Nam pulchra inferno cecidit *Miranda* Tyranno. (ptam?
Thyr. Hinc ideò eſt Gemitus? *Mirandam* plangis adem-
Heu dolor illuſtris! *Dam.* Dolor inſuperabilis, Umbræ
Juſtè at pallenti meritus; mecum Omnia plangant,
Nam cecidit *Miranda*, Thymo mihi dulcior *Hyblæ*,
Candidior Cycnis, Hederâ formoſior albâ.
Oh Fatum injuſtum! *Thyr.* Nimiis, precor, adde minorem
Menſuram ærumnis, præbeque his vocibus aurem.
Cùm Pecudem errantem ſervavi ad Litora grata,
Mirandæ recinens non Planctu Fata minori;
Surgentem è nitido conſpexi Flumine Nympham,
(Et Formâ, & Facie miram, pulchriſque Capillis)
Submerſam Lacrymis; Gemitus Hæc pectore multos
Fudit ab extremo; (fuit Huicce *Britannia* Nomen)
Hoc Captus Viſu, ſtupui; tandem Ipſa ſequenti
Nympharum Turbæ dedit hoc memorabile Carmen.
Deſertâ, *Britones*, feſtinans ſede marinâ
Huc venio, ut jungam mea Cœtibus Agmina Veſtris
Triſtia, dum noſtræ memoramus Fata dolentes
Reginæ, & tremuli minitantia damna timemus.
Ite ergo in Lacrymas, ite & plorate, querelam
Infandam edentes; ſtilletque Cruore recenti

Æternum

Æternùm crudele patens ſub pectore Vulnus.
Templorum Præſes, *Britonum* Tutela Decuſque
ANNA, cadens Animam fato exhalavit iniquo:
Quæ dubiis manſueta fuit, Miſeriſque benigna;
Regia, verùm humilis; Mens non elata Triumphis,
Non depreſſa Malis, ſed in omnia Pectus honeſtum
Fixum erat, exoptans Pacem, inſuperabile Bello.
Hinc damnum immenſum; Vos ergo plangite Turbæ
Nympharum placidæ; Tuque, O decorate fluentis
Argenteis *Thameſis*, leni ANNAM plange ſuſurro;
Fontibus exhauſtis deerit cùm Lympha, perennis
Ipſa datis lacrymis tua Litora ſicca replebo.
His dictis, dedit inflanti fræna ampla Dolori,
Nympharumque gemens pænè expirârat in Ulnis:
Tandem Heros Sceptro ornatus, cinctuſque Coronâ,
Litore ab externo, illuſtri ſtipante Catervâ
Magnatum, advenit, viridem & portavit Olivam,
Venturæ Pacis Monumentum, & Pignus Amoris.
Dextrâ *Hic* extensâ Nymphæ Solatia præbet
Languenti, ſpondens, quòd Jura antiqua (Deorum
Si Fata aſtarent) Legum ſervaret Amore
Sollicito, (inſignis veſtigia paſſibus æquis
ANNÆ ſacra ſequens, & fortia Facta *Wilhelmi*)
Et Decora invictis faceret majora *Britannis*.

Iſ. Sharpe
Coll. Div. Joh. Bapt. Schol.

NUpèr ut umbrosâ caput in convalle reclinans
Deflevi ſortem *Britonum*, & mihi triſtis Imago
Reginæ occurrit, juſſitque iterare dolorem:
Diva mihi dubio arridens *Polyhymnia* vultu
Aſtitit, & curas tali ſermone reſolvit.
Quid, Miſer, inſano juvat indulgere dolori?
Heſperio quoties *Phœbus* lavat æquore currum,
Æternas metuis tenebras? mox alter *Eoo*
Conſurgit nitidus Cœlo, ſimiliſque priori,
Aurorâ revocante, Dies. Ea Fata ſequuntur
Sceptriferos, *Uno avulſo non deficit Alter*
Aureus, & ſimili ſplendeſcunt ſæc'la metallo.
GEORGIUS huc, Genio *Britonum* poſcente, ſecundis
Tendit iter ventis, Princeps celeberrimus Armis,

Nec

Nec Pietate minor; non *Hunc* Rationis egentem
Vana Superſtitio, nimioque *Papiſticus* Error
Ornatu rapuit; non *Hunc*, Studioſa novandi,
Turba levis Recti ſpecie delufit inani,
Divinos jactans Motus, Sacroſque furores,
Doctaque mendacem fraudi prætendere frontem.
Non *Illo* votis Muſarum gratior unquam
Contigit; *Aonios* cantus, Gentemque Togatam
Diligit: hos *Regina* animos, hæc corda ferebat.
Anglia (nî vanum noſter donavit *Apollo*
Augurium,) placidos ſoles, annoſque videbit
Felices, miranſque novo ſuffuſa nitore
Sæcula; ſub tali Pacis Cuſtode fovebit
Ingenuas Artes, & læto Copia cornu
Largas fundet Opes; poſitâ formidine Vates
Ludet, & immiſſo ridebunt Arva Colono.
At ſiquem Martis rapiat maleſana Cupido,
Non *Illum* quiſquam telis impunè laceſſet
Obvius armatum; ſimul eſt in utrumque paratus,
Et ſuperare Armis, *Paciſque imponere morem.*
Ille etiam mœſtis hâc tempeſtate Camœnis
Siccabit lacrymas; nectas, *Rhedycina*, benigno
Serta Duci: mandes chartis victura per ævum
Carmina, perpetui Monumentum & Pignus Amoris.
Ille Almæ Matris paulatim abolere dolorem
Incipiet, ſenſuſque ægros, animumque labantem
Eriget, antiquæ revocans veſtigia flammæ.
Sic *Helicon*, largo infeſtus cùm *Jupiter* imbre
Cœruleas turbavit aquas, mox ſole reverſo
Clareſcit ſenſim, ſordeſque expurgat eundo:
Flumine ſincero tandem de fonte refectus
Purior electro, ut quondam, petit arva; Camœnis
Dat ſpeculum; geminat natos in margine flores;
Atque novum liquido reſplendet in æquore Cœlum.

Joh. Jones
Coll. Ball. Schol.

Ως δῖα Ρηδυκείνη
Νόησε τὴν Αναστὴν
Ηδὴ νεηφιὴ ἐοῦσαν,
Ωμωξε, κὴ δάκρυσε
Λυγρὴν χέουσα φωνήν·
Λυρὴν δ' ἔλοῦσ' ἄειδε
Θρηνητικὰς ἀοιδάς.
Θάνες βεβρῶς τὸ χάρμα,
Πάντὸς μέλημα λαῶν·
Θάνες φερέσπη Αννη
Λειπσεπὲς Βρεταννοῖς.
Σύ μοι γέρας τ' ἔδωκας,
Σύ μοι λυρὴν τ' ἔδωκας,
Καὴ καλὸν ἰσόρημα.
Σὲ πῶς ἐγὼ δακρύσω
Ερασμίη φίλη τε;
Σὲ πῶς ἐγὼ λαλήσω
Ω εἰκέλη θεαίναις;
Ω εἰκέλη θεαίναις
Ηχὼ μὴν ἀντεφώνει.
Ολωλ' Αναστ', ὄλωλε
Πάντης γλυκεῖα Μήτηρ,
Τὸ σέμνα τὸ κλεός τε
Απασέων γυναικῶν.
Δὸς ὄμμασιν ῥέεσιν
Δὸς δακρύων ἀναύρους,
Αιωνίας τε πηγάς.
Ολωλε γὸ Βρεταννοῖς
Τὸ δ' ὔπιον σεβάσπον
Ομοιον Αφροδίτη,
Τὸ δ' εἶδος ὥστερ Ηρης,
Καὶ χεῖλος οἷα Πειθῦς.
Ω ἡδονὴ βεβαχεῖα
Καὶ αὐθέως ἄφαντος!

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Σὺ δὴ πάλαινα νῆσος,
Βρεταννικὴ ἄρχεις,
Γόοισι δάκρυσιν τε
Αἰαζε τὴν Ἀναστάν.
Αἰαζε τὴν Ἀνάστάν
Ἠχὼ μὴν ἀντεφώνει.
Ἐως δὲ ταῦτ' ἔλεξε
Κλαίουσα Ῥηδυκείνη,
Κραιπνῶς ἐπῆλθε Φοῖβος,
Καί μιν προσεῖπεν ὧδε,
Ἐθελῶν γλυκὺς προφήτης.
Τί νῦ μάτην σεναίζεις;
Τί νῦ γόους προπέμπεις;
Μοῖραν πέφυγεν οὐδείς
Βροτῶν ὅσοι γένωνται·
Τί χετλίη σεναίζεις;
Φιλοῦσι μὲν σε Μοῦσαι,
Φιλεῖ δὲ νῦ Ἀπόλλων,
Φιλεῖ Γεώργιός σε,
Αὐτὸς Θεοῖς ὅμοιος.
Ἰδοὺ πάρεστιν Ἥρως,
Τέμνει τε κῦμα πόντου,
Καὶ φαίνεται γαλήνη.
Ἰδοὺ δέμας θεητόν!
Γεωργίου φανέντος,
Φεύγουσιν αἱ μέριμναι,
Χαίρει τ' ἰδοῦσὲν ἦτορ.
Σὺ δ' ὄρσο Ῥηδυκείνη,
Τὴν βάρβιτόν τ' ἄμειβε,
Ἄμειβε νεῦρα πάντα,
Καὶ ποικίλαις ἀοιδαῖς
Κύδαινε νεῶν Ἄνακτα.
Κύδαινε νεῶν Ἄνακτα
Ἠχὼ μὴν ἀντεφώνει.

H. Randolph
ex Æde Christi Commens.

QUiſquis amiſſam lacrymis Parentem
Heu! pius fruſtrà repetis, moleſtum
Auferas planctum, atque, malè ominata
Verba, querelas.
ANNA Se fleri vetat: *Illa* cœlos
Affidens Divis tenet, inde terras
Spectat, & curat Decus Imperîque
Fata *Britanni.*
Mortuam ſtultè querimur, perenni
Fama *Quam* pennâ vehit, & ſuperbos
Cui dedit nuper titulorum honores
Flandria victa.
Muſa virtutum memor arcet *Illam*
Luridis Orci tenebris: & alto
Lætus exemplo fit Imago viva
GEORGIUS ANNÆ.
Ille, ſeu Martis ſtudium fatiget,
Seu colat Pacem, nova ſylva Laudum
Creſcit, aut Lauro caput aut virenti
Cinctus Olivâ.

Jacobus Ogletborpe Eq. Aur. Fil. è C. C. C.
Sup. Ord. Commenſ.

QUalis, obſcuris adoperta nimbis
Cùm fit Auroræ facies, Alauda
Immemor cantûs, recubans in udo
Ceſpite mœret;
Sole mox claram referente lucem,
Læta ſe pennis levat uſque in altos
Nubium tractus, liquidoque mulcet
Æthera cantu.
Talis ingentem meditata luctum,
Laureum circa nemus, uvidique
Iſidis ripas, numeroſa Vatum
Turba recumbit;
Cùm ſacer ſummi *Jovis* & Deorum
Nuntius, cœlo veniens ab alto,
Hæc refert mœſtæ, exhilarante *Phœbo*,
Grata Juventæ.

Mitte Singultus, vacuaſque Curas,
Non enim Veſtro caret ANNA Luctu,
Quæ *Sibi* æternæ moriens paravit
Gaudia Vitæ.
GEORGIUS lætos *Britonas* revifit,
Quiſque jam Plectrum poſitum reſumat,
Audiet felix, aderitque Votis
Fautor *Apollo*;
Seu quis audaci ſtudet æmulari
Pindarum verſu, celebremve *Homerum*,
Seu quis *Alcæi*, *Æoliæve* pulſat
Plectra *Puellæ*:
GEORGIUM læto celebrate cantu,
GEORGIUM valles reſonent amœnæ,
Et Sacrum Nomen recinat jocoſa
Montis Imago.

Jacobus Hamilton, ex Æde Chriſti
Sup. Ord. Commenſ.

DEfunctum nuper Martem, Paciſque triumphos,
Et domitas *Gallorum* iras, & quæ Dea fecit
Otia, feſtivo cecinêrunt carmine Muſæ.
Mulcebat *Britonum*, curâ luctuque remotos,
Blanda Quies animos, & Spe lactabat inani.
Nunc ANNAM lugent, tanta inter gaudia, Cives,
Extinctam lugent crudeli funere Muſæ.
Huic ſemper cordi Pietas; *Huic* maxima cura
Relligio, Jus, pura Fides; his Artibus iram
Hoſtilem eluſit, fruſtraque minantia Tela:
His tantos retulit Bellique & Pacis honores:
Artibus his tandem (viduati flete *Britanni*)
Extulit à terrâ, & ſuperis immiſcuit Aſtris
Immortalem Animam. Clari nova limen Olympi
Miratur, fruiturque Deorum amplexibus, Hoſpes.
O, proprio Cœlo Decus addita! dum pia linguâ
Multiplici *Rhedycina* gemit Tua Funera, Gentes
Sub quâcunque plagâ poſitæ, quas non latet ANNÆ
Gloria, quêis *Britonum* narravit Fama triumphos,
Fletu conſpirant; extremo in limite mundi
Ipſi *Te* plorant *Gades*: ipſa ultima *Thule*,
In Lacrymas reſoluta, inſueto flumine luget.
At *Tu*, quicquid adhuc tanto de Nomine reſtas,
Magnæ

Magnæ Relliquiæ, *Tibi* ſi Mortalia curæ,
Miſta licèt Superis, expertes arte Dolores
Reſpice, quoſque Tuo Cineri libamus honores.
Te quoties auſa eſt Muſis celebrare, potentem
Armis, majorem Pietate, & Pacis ovantem
Artibus! extremum *Tibi* tandem invita laborem
Hunc *Rhedycina* offert: En ultima Munera verſûs!
Plura vetant Parcæ – *Britonum* dum fama manebit,
Dum juſtis aderunt factis ſua Prœmia, Vives.
En! uti celatum premit ægro corde dolorem,
Et tacitis fruitur lacrymis, inhibetque Querelas
Anglia! cognato Populo gratiſſime, GEORGI,
Tu damnum properas Vindex reparare *Britannûm.*
Reſpexit tantos facilis clementia Cœli
Luctus; una Dies nobis ANNAM abſtulit, una
Dat *Regem*, Populi Qui triſtia corda ſerenet.
Aſpicite, O Cives, qualem *Germania* mittit,
Quàm placido vultu, quàm forti pectore, *Regem*!
Dive potens ſalve; Tua, *Te* regnante, ſuperbit
Anglia, & antiquos iterum meditatur honores.
Se *Tibi* totum aperit *Thameſis*; *Te* flumine læto
Gratum portat Onus; laſcivis fluctibus Æquor
Exultat: modò quæ mœſtùm ingemuêre cubili
Sub vitreo, placido Obſequio comitantur Euntem
Nereïdes, luduntque agili per marmora ſaltu.
Neptunus, Dominum agnoſcens, *Tibi*, Dive, Tridentis
Imperium, *Tibi* ſubdit Aquas, jam non Sua Regna.
Litora dant fremitum, confuſaque murmura vulgus
Immiſcens, GEORGIUM cognatis inſerit Aſtris.
Quis populi referet Studium, immodicumque Favorem,
Cùm *Te* exoptatum, adverſi poſt tædia Venti,
Magne Hoſpes, *Auguſta* intrà Sua Mœnia fauſtis
Excipit Auſpiciis? crebræ mixto ordine Pompæ
Conſurgunt: Juvenes, &, jam non pigra, Senectus
Te plauſu inſolito, & feſtivâ voce ſalutant.
Inter Avos Atavoſque Sedens, ſis Numen amicum,
ANNA; Tuo Populo, & priſcâ Pietate *Britannis*
Invigiles: teneat Jus inviolabile Sceptri
GEORGIUS; atque Tuis fulgens Virtutibus, Hoſtes
(Siqui aderunt) fruſtrà ſævos, *Te* Vindice, fundat;
Auſpice *Te*, Innocuis parcat, frænetque Superbos:
Legibus emendet Populum, quem Moribus ornat.

 Ric. Riland Coll. Magd. Semicom.

DEjectos vultus, lacrymaſque per ora volutas,
Et quos ſollicito gemitus in corde fovetis,
Quis, *Britones*, meritis exæquet laudibus? ANNÆ
Quis Deſiderio Pudor aut Modus adſit ademptæ?
Pauliſper tamen, O Cives, pia pectora, tantas
(Si non hoc ſuadere nefas) ſecludite Curas;
Pauliſper terræ affixos attollite vultus,
Atque aliqua ingentis Solatia ſumite Luctûs.
Abſterſos oculos paſſim per marmora ponti
Dirigite; ut variâ complentur litora turbâ!
Quanta per Oceani dilabitur æquora Claſſis!
Unà aliquod Magnum aggreditur *Batavuſ*que *Brito*que.
Ille Quis in celsâ puppi, placido ore notandus,
Stat medius denſâ Procerum cingente coronâ!
Ut plenis velis ſubit oſtia tutus! ut *Illum*
Optatum ad portum *Tethys* vehit omnibus undis!
GEORGIUS *Ille*; Ducem, *Britones*, cognoſcite Veſtrum;
Excipite incolumem, & plauſu fremituque ſecundo
Ocyùs inque Urbem, inque Ædes ducatur Avitas,
Regiaque *Huic* Trabea, & capiti Diadema paretur.
Jam mihi per Vicos, poſito mœrore, videtur
Æmula fervere Plebs, lætoſque agitare triumphos.
Atque aliquis fortaſsè Senex, non immemor actæ,
Se puero, ætatis, pulchram procedere Pompam
Ut videt attentus, turbâ comitante Nepotum,
Suaviter arridens dicet; "Quæ gaudia noſtrum
"Perfundunt animum! quâ me hæc Spectacula mulcent
"Lætitiâ! Sæc'li ut referunt monumenta prioris!
"Certè equidem memini, & ſemper memorare juvabit,
"Ordine quo Proceres, oſtroque auroque decori,
"Proceſsêre olim, cum Regni ad Sceptra Paterni
"*Carolides* tandem longo poſt tempore venit.
"Idem Ardor Populi; ſic Agmina Spectatorum
"Concurêre, pari ſplendebant tecta domorum
"Ornatu, ſimilique fremebant compita plauſu.
"Et precor O paribus *Britonum* ſceptra inclyta geſtet
"GEORGIUS auſpiciis, ſeros & Regna per annos
"Pace beet ſimili, maneantque Ea Fata Nepotes.

Richardus Lawley

ex Æde Chriſti Sup. Ord. Commenſ.

QUid nos Virtutes miramur & Arma *Camillæ*?
Invicta Martis tædio
Floruit ANNA magis;
Quas *Rhodanus* gentes, *Iſtri* quas abluit unda,
ANNÆ paventes Fœdera
Supplice voce petunt:
Vindelici & *Rhæti* ſua corda ferocia ponunt:
Atque excolunt armis datis
Pacificam Dominam.
Poſt vinctas gentes æterno Fœdere, lætos
Cives Olivâ, Gloriæ &
Vitæ abiit ſatura;
Terreſtres habitare domos *Aſtræa* negavit,
Cœlumque cognatum tenet
Miſta Dea ANNA Deis.
Quid Regale juvat lacrymis urgere Sepulchrum?
Ortus *Stuartûm* ſanguine
REX moderamen habet.

Tho. Heber
Coll. Univ. Commenſ.

MOdum querelis pone, *Britannia*,
Non audientes flebiliter Deos
Fruſtrà fatigas: ANNA Manes
Non reditura petit, Sepulchri
Heu! Præda præcox. *Cui* Pietas parem
Sincera Virtus, nudaque Veritas
Quando videbit, corruentis
Præſidio Decorique Sceptri?
Quid debeas Illi, *Anglia*, *Flandrici*
Teſtantur Agri, teſtis *Iberia*
Fœcunda clade, & *Galliæ* Rex
Exitii pretioſus Emptor.
Quò, Muſa, tendis? deſine Mortuam
Plorare fruſtrà. Sed potiùs novi
Regis triumphos, GEORGIUMque
Artibus egregium Duelli
Paciſque canta. Quid memorem priùs?
*Gallo*ſne dicam terga fugacia
Dantes ubique, & luctuoſam
Militibus Ducibuſque Pugnam?

An dira Belli prælia *Turcici,*
Demptam Tiaram, & milite *Barbaro*
Direpta Signa, *Iſtrumque* latè
Vortice ſanguineo rubentem?
Per ſpiſſa ſævit GEORGIUS Agmina,
Torrentis inſtar; Non Gladii ſatis
Obſtant ruenti, aut Hoſtis ingens
Vis cohibet facilem perire.
Quo per Cohortes cunque movet pedem,
Vaſto morantes proruit impetu,
Et turbat inſtructas Catervas
Fervidam ubique ſerens Ruinam.
An auſpicatæ *Brunopolis* canam
Sedes quietas, arvaque milite
Vaſtata nullo, & *Regis* æquo
Imperio Populum beatum?
Sed Muſa Laudes ulteriùs Tuas
Culpâ recuſat deterere Ingeni:
Te Militantûm Terra, Vatum
Terra petit generoſa Nutrix,
Multâ Triumphos qui reſonent Lyrâ,
Qui clara ſeris Facta Nepotibus
Tradant canenda, atque *Addiſoni*
Non humili celebranda Plectro.
Huc tende, *Princeps*, huc propera ocyùs:
Poſcunt labantes Conſilio Patres,
Et Res caducæ, fluctuantis
Grande decus columenque Regni.
Ut flagitat Sponſa impatiens Virum
Diù retentum trans mare Naufragum:
Sic GEORGIUM quærunt morantem
Unanimi tria Regna voto.
Lenis det Eurus flamina: planaque
Nullis tumeſcant Marmora fluctibus:
Sic Navis Heroem *Britannis*
Finibus incolumem reponat.
Fallorne? Pontum an conſpicio rate
Crebrâ gementem? En! advenit Oſtia
Secura Claſſis, Remigumque
Ripa novo fremitu reſultat.

Dat obviam ſe Regia Civitas,
Et gratulatur ſoſpitem ab Æquoris
Regem peric'lo: oblita Telæ
Miſta venit Pueris Puella.
Non uſitatis Ordinibus fluunt
Menſes, & Æther Luce micat novâ:
Anni revolvunt, atque in Aurum
Sæcula jam redeunt vetuſtum.
Serus reviſas Sydera: ſed magis
Ames ſalutari hîc *Patriæ Pater*,
Unire *Partes*, & *Britannos*
Dirigere heu! malè pervicaces.
Sic comparato Gentibus otio
Edvardus Arces attigit igneas:
Eliza ſic Conviva ſedes
Ad ſuperas rediit Deorum.

Jo. Sanford A. B.
è Coll. Ball.

CAntu ſonoro vix Tuba deſtitit
Ciere *Martis* prælia fervidi;
Vix alma lætantes revifit
Milite Pax *Britonas* remoto;
Cùm Mors, acerbo læta negotio,
Adverſa fauſtis miſcuit, & ferox
Adegit ad Manes *Britannæ*
Grande Decus Columenque Gentis.
Heu! Nos decenni Marte ſeverior
Caſus ſereno turbat in otio,
Externo & ereptos peric'lo
Damna domi graviora vexant.
O ANNA! Stirps O ſceptrigeræ Domûs
Suprema! nobis *Te* atra Neceſſitas
Avellit; extremam & *Stuartûm*
Invida Spem tumulo recondit.
Cuſtode rerum *Te*, *Brito* ſtrenuus
Hoſtes feroci diruit impetu,
Paſſimque per terras reliquit
Clara Tuæ monumenta Famæ.

Te ſæpè ſenſit *Flandria* ſanguine
Fœdata multo; ſenſit & ardua
Moles *Vigonis*, dum *Britannis*
Pandit Opes, variaſque Gazas.
Quin jam Querelas, *Anglia*, comprime,
Triſteſque luctus; GEORGIUS en! Suis
Tutela præſens & Levamen
Ire dies jubet otioſos.
Tu Solus omnes, *Maxime Principum*,
Pellis Dolores; *Tu* venerabilem
ANNAM reducis, *Tu Stuartûm*
Progeniem renovas ſepultam.

Joh. Frances. A. B.
ex Æde Chriſti. Commenſ.

SAT morti fatiſque datum: ſatis ora ſuperque
Effœtis *Britonum* lacrymis maduêre ſilentûm
Horrida, & obſcœno turpavimus omnia luctu.
ANNAM etiam Laurus, ANNAM flevêre Myricæ;
GEORGIUS ANNAM etiam fertur fleviſſe peremptam:
GEORGIUS indociles tantam Qui ferre ruinam
Solatur *Britonas*, Curæ & procul *Ipſe* medetur.
Haud ſecus immiſſis radiis & lumine amico
Pallentes violas *Phœbus*, molleſque Hyacinthos,
Deciduos flores, multoque ex imbre madentes,
Erigit, & nimio vix firmat rore ſolutos.
Quin potiùs, GEORGI, noſtras ſolabere curas
Præſens; Imperium jam tandem ſuſcipe, felix
Auſpiciiſque Tuis, & fauſto nomine Princeps.
*Tu*que adeò *Britonum* juſtis ignoſce querelis
Exagitat quos longa nimis *Te* cura videndi.
Heu! quoties Regem & populos viſurus ovantes
Oceanum petiit *Thameſis* properantibus undis!
Mox querulis deceptus aquis, tardiſque redivit
Fluctibus indignans, atque illætabilis Amnis.
Ah! *Te* nequicquam ſperet *Germania* Regem;
Solennes Cauſas fruſtrà innectatque morandi
Officioſus amor *Batavorum*, atque Hoſpita Tellus,
Patria ſi Sedes, Soliumque repoſcat Avitum.
En! *Tibi Neptunus* lætos meditatur honores,
*Te*que vocat crebris deſerta *Britannia* votis.

En!

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

En! totas *Tibi* pandit Opes, centumque recludit
Ambitioſa Tuis portas *Auguſta* triumphis.
O! Rex immenſi venias Maris: & Tua latè
Carbaſa diſtendant ſpirantes molliùs auræ,
Et lenes Zephyri, & placidorum quicquid ubique eſt
Ventorum, & blanda acclamantis Flamina Vulgi.
*Tu*que adeò, *Quæ* nunc patrio verſaris Olympo,
ANNA, novum Sydus, felicem dirige Claſſem,
Officiiſque Tuis hoc adde benigna Supremum.

Franc. Weſt A. B.
Coll. Div. Joh. Bapt. Soc.

UT primùm *Thameſis* cœperunt murmure ripæ
Inſolito trepidare, omnis clamoribus Æther
Saucius intonuit, ſonitum *Rhedycina* frementûm
Agnovit, ſtrepitumque dedit *Sheldonia* Moles.
Mox alacres videas Cives incedere greſſu
Magnifico, *Romæ* lætos imitante Triumphos;
Undique dulce Melos variumque reciprocat, æſtus
Componens, Vulgique animos modulamine duros
Huc illuc flectens, quali *Rhodopeïus Orpheus*
Saxa lyrâ, Sylvaſque, & Bruta ſequentia duxit.
Quid memorem Ludos, quid pictis æthera ſignis
Fulgentem, aut pulchro diſtinctas ordine turmas?
En *Tibi* quot libant pateras, REX *Maxime*! quantus
Lætitiæ exultat teſtis Vulcanus! ubique
Quot poſiti tenebras Lychni, & Funalia vincunt!
Hæc *Tibi* (nec tanti, Vates Divine, laboris
Pœniteat) cantanda manent, quo Gloria Scenæ
Naſcitur *Angliacæ*; quo ſummum accepit Honorem
Ipſe *Cato*, & Monitis pravo dat Jura *Theatro*.
Has ſimul ut vidit turpis Diſcordia pompas,
Ore fremit rabido: extincto quatit igne Siniſtra
Tædam, Dextra tenet latitans ſub veſtibus Enſem.
Jamque datum imperio finem, & quæ pectore verſat
Conſilia everti ſentit; nunc ora Veneno
Plena gerit, paſſimque virûm diffundit in aures.
Nocte volans mediâ vanis rumoribus Urbes
Territat *Angliacas*, nec tecta aſcendere Muſis
Sacra timet; dubias hinc gaudens ſpargere Voces;
His dum compoſitam Pacem & civilia Jura

Rumpere, & unanimes armare in prælia Cives
Aggreditur Monſtrum, rubicunda *Viſurgis* ad oras
Lumina contorquens, circum videt agmina *Regem*
Fuſa movere, videt longè fulgentia ferro
Scuta Virûm & galeas, veluti cum cœrula Nubes
Solis inardeſcit radiis, longéque refulget.
His ſuper indignata gemit, ſimiliſque procellæ
Curſu ad nativas celeri ſe contulit Umbras.
Jamque veni Auſpiciis, REX, inquit Muſa, ſecundis,
Jamque veni, reboat Plebs magnâ voce triumphans.
Hîc Domus, hæc Patria eſt, hoc poſcunt Fata Deorum;
Hoc neve ANNA minùs curat, (*Quâ* Sæc'la tulêre
Aurea nil Melius, Majuſve futura videbunt)
Ore Suprema loquens—"Quid fles, Chariſſima Tellus?
"Parce metu, neque *Me* credas Tibi defore: *Princeps*
"Mox aderit Sapiens, *Qui* jura *Britannica* figet,
"Et Gentem antiquâ ſub Relligione tenebit.
O Ratis, Imperii Triplicis quæ læta timores
Portas, ſic *Gemini Fratres*, ſic æquora Divi
Hæc quicunque regant, ventis Tua Vela benignis
Extendant, *Regem* ſic reddas finibus *Anglis*
Incolumem, atque Animam ſerves, & Fata *Britannûm.*

Rad. Aſheton Armig. è Coll. Æn. Naſ.
Sup. Ord. Commenſ.

AT O! Deorum Quiſquis amicior
Mundum gubernas! Qui Tibi creditas
Res *Angliæ*, *Anglorum*que Fata
Dirigis arbitrio fideli;
Quid nos, & olim Litora non Tibi
Ingrata linquis? Ne fuge; plurimùm
Te nunc egemus, dum ſupremo
ANNA jacet moribunda lecto.
Siquid Piorum proficerent Preces
Quos ſublevâſti, ſi Pietas Tua,
Ædeſque Divorum refectæ, &
Structa Tuo nova Templa Sumptu;
Non *Te* jacentem, *Maxima Principum*,
Non mortuam *Te* flebilibus Modis,
Non Funus (heu!) Tuamque triſti
Carmine proſequeremur Urnam.

Quin

Quin lætiori Carmine ſoſpitem
Te diceremus, Nomen Amabile,
Te dulce Sydus, *Te Britanni*
Grande decus, columenque Regni.
Quin *Te* potentem Jus dare gentibus
Sublimiori Carminis alite,
Quin & Triumphos gratulari
Sæpè Tuos, Tua cura, Muſæ
Vellent, & almæ Pacis Adoream,
Pectuſque honeſtâ dicere præditum
Virtute, quæ non fruſtrà amicis
Diis placuit, meruitque Cœlum.
Accepta Cœlo, Nos tamen anxia
Curas, & almo lumine reſpicis
Gentes amatas, protegiſque
Angliacas, Tua Regna, terras.
Tu Sceptra magno debita GEORGIO
Firmas; remoto tutum iter & patens
Concedis, & dextrâ patenti
In gremium Bona multa fundis.

Tho. Leigh A. B.
C. C. C. Diſcip.

Carmen Cambro-Britannicum

OES Genedl, nad dwys gennych
Glywed farw ANN glôdfawr, wych?
Och! Crŷd achreth, a dychryn,
A Saeth ŷn Calonnau ſyn!
Pan oedh yn fyw, lhiû y Lhŷs,
Fel Enaid oedh i'r Ynŷs;
Ei mûr oedh, a'i hymwared;
Ond pan dhigiai, crynai crêd:
Ei Digofaint oedh haint hylh,
Y Wŷr *Ffraingc* garw ei Ffrewylh:
Ymlidiodh, gyrrodh ai Gwŷr
O'r Maes, a'r Bŷd, Ormeſwŷr:
Lhoſcodh, a thorrodh a thân
Fîl oi tyreu, fel taran:
Ond gadawodh yn gedol
Brenhin dâ, a Hêdh oi hôl:

Steph. Parry è Coll. Jeſ.

O! *Magne Princeps*, quæ ſibi creditum
Carina geſtat *Te*, *Britonum* decus,
Fluctu ſecundo, proſperiſque
Advolet accelerata ventis.
Regem receptum litoribus ſuis
Citò reponat: *Te* prece fervidâ
Poſcunt *Britanni*, luctuoſum
Principis interitum querentes.
ANNÆ querentûm triſtia Funera
Non parta Bellis Fama, nec inclyti
Pacis redonatæ Triumphi
Sollicitos minuunt Dolores.
Lenire, GEORGI, *Tu* potes unicus
Turbata luctu pectora; *Te* Suis
Regina, *Te* ſolamen ingens
Pollicita eſt moriens *Britannis*;
His blanda mœſtos vocibus excitans
Fidoſque Patres: Ancipites precor
Fugate curas, Vos beabit
Altera progenies *Stuartûm*.
En! auſpicato GEORGIUS alite
Adeſt *Britannis*, *Illi* animus datur
Ad Sceptra natus, ſeu minaces
Contuderit populi tumultus;
Leni volentes ſeu moderamine
Fovebit æquus, Pacis amabile
Munus tueri, & diſſidentes
Conſociare animos paratus:
Myſtaſque Sacros, & venerabiles
Defendet Aras GEORGIUS, & Meis
Incepta Curis, mox reponet
Templa, Sui decora alta Regni.

Tho. Bold
Ædis Chriſti Alumnus.

INvictas acie turmas, Martiſque triumphos,
Lætitiam, plauſuſque, & amœnæ munera Pacis,
Hactenùs inſonuit variâ *Rhedycina* Camœnâ.
At nunc tota abit in lacrymas, & Carminis Ordo
Triſtior incedit, ſed qui decet eſſe dolentis.
ANNA, Tuo paulùm deflectas Lumina cœlo,

Si

Si vacat, en! *Tibi* non vacui inſtaurantur honores
Carmina, funerei Illa etiam pars Magna Triumphi.
  Ergone crudelis rigidi Inclementia fati
Te rapuit, rerum longè pulcherrima Mater!
Abreptam fas ſit populo deflere ſalutem;
Fas ſit dilectam proli lugere parentem.
Ergo age, Muſa, para luctus, & flebile Carmen;
Pro Citharâ tibiam, pro Lauro ſume Cupreſſum.
Quis Nos Conſilio reget, aut quis proteget Armis?
Hoſne tulit fructus Pietas? Sic Condita poſſunt
Templa probare Deos? Sunt hæc conſtantia magno
Munera, cùm *Quæ* ſtruxit, humi inclinata recumbit.
Siquid agant Lacrymæ, Superos ſi flectere poſſit
Muſa, lyrâ fletuque potens *Rhedycina* moveret,
Et Jura uſque daret populo *Regina* volenti.
Hic quoque *Te* fontes lugent, & murmure rauco
Thameſis ingentes offenſa ad ſaxa dolores
Narrat, & à lacrymis provolvitur auctior Amnis.
  Sed quia Parcarum leges vetuêre Regreſſum,
Panditur atque ingens ſummi *Tibi* limen Olympi;
Tu Dea, ſublimi cùm Majeſtate refulgens
Incedas Cœlis, Populo ſis Dextra precanti,
GEORGIUS in Terris dum regnat, & Aſtra merendo
Affectat, Nobis olim Deus *Ipſe* futurus.

P. Barcroft
Coll. Nov. Soc.

LÆtitiam & Luctum dubio ore, *Britanne*, fateris;
  REX plauſus, gemitus poſtulat ANNA tuos.
Gaudia nunc placido effulgent ſurgentia Vultu,
  Nunc ingens madido fluctuat ore Dolor.
O parcas, REX *Magne*, Tuis, ſi triſtia lætis
  Angligenæ miſcent; ANNA dolere jubet:
Concedas populis, *Tibi* quod non abnuis *Ipſe*,
  Namque ANNAM gratis fletibus *Ipſe* doles.
Sed nè quis nimiis lacrymarum fluctibus ANNAM
  Ploret; *Tu*, GEORGI, grande Levamen eris:
Huc adſis, Vultuque Tuo compeſce Dolores;
  Sic Nubes omnis Sole micante fugit.
En! *Regem* aſpicio longè vada falſa ſecantem!
  Pondere ſub ſacro lenitèr unda tumet.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Apparent Vexilla procul; jam Claſſica ſtrident,
Atque triumphorum flammeus ordo micat.
Tu Clavo, *Neptune*, fave, Curſumque ſecunda;
Nempe Maris Dominum grata Carina vehit:
Salvum redde Suis; vel Te citò triſtia, quondam
Quæ *Xanthum* exuſto flumine, Fata prement.

Robertus Layng Coll. Ball. Schol.

MOeſtam Camœnæ ſumite Barbiton,
Mœſtam canendi materiem dedit
Regeſque acerbo paupereſque
Subjiciens Libitina letho.
Sic luctuoſi fata *Glovernii*
Divi rependunt! Abſcidit *Atropos*
Quos antè Nato, non Parenti
Addidit exitialis Annos.
Parcæ rapacis Victima concidit
Conjux, ſub armis cedere neſcius:
Heu! plurimis annis opimus
Magnificuſque ſatis Triumphus.
Nunc, ANNA, triſtis *Te* dolet *Anglia*,
Plorantque mœſtis *Pierides* lyris,
Comaſque pro victrice Lauru
Funereâ impediunt Cupreſſu.
At dum doloris debita Manibus
Tuis aguntur munera, Honoribus
Intaminatis *Tu* refulges,
Ad patrium revocata Cœlum.
Vides, beatos Ætheris Incolas,
Agmen *Stuartûm*, progeniem & Tuam
Vides ovantem, haud, ANNA, partem
Egregii minimam Triumphi.
Partu Deorum clarior emicans,
Cunctis Deabus *Tu* invidiam facis,
Dum *Te Glovernus*, *Te* Parentem
Cœlicolûm comitatur Ordo.
Non pulchriori cingitur agmine
Mater Deorum, turrigerum Caput
Dum tollit altè, Filiiſque
Innumeris graditur Superba.

Jac. Brynker Coll. Jeſ. Schol.

PRinceps *Britannis* lumine charior,
ANNA heu! *Stuartûm* Quæ venit ultima,
Regni Decus Roburque, Fato
Præpropero cecidit perempta.
Lugent ademptam, queis Pietas placet,
Queis grata Virtus, nudaque Veritas;
Lugent ademptam, queis renidet
Relligio fine labe ſimplex.
Dum Vixit ANNA, heu! dicere *Vixerat*
Ut torquet! omnem longiùs impulit
Errorem, & *Ipſa* quæ ſtruebat
Fana Deos habuêre rectos.
O Quanta menti laus erit arduæ!
Proh magna Virtus cedere neſcia!
Quam dum nequit remunerare
Terra, Polus decorare ſumit.
Quid poſſet armis, agmina *Gallica*
Sensêre nuper. Quantus erat metus,
Obſtantis *Iſtri* cùm fluentis
Ambiguam petiêre mortem!
Quàm celſa victis hoſtibus enitet!
Dum Templa *Jani* claudit amabilis,
Orbi fatigatoque Pacem,
Frontem Oleâ redimita, donat.
Non Arma ſumpſit ſanguinis appetens;
Non quòd ſuperbis gaudet honoribus,
Sed vinculis Regna expedire,
Aut Soliis ſtabilire Reges.
ANNÆ beatos conſilio Suos
Devincta dicit *Scotia* amabili
Nexu, recedit dum Simultas,
Et coëunt in amore Dextræ.
His olim *Eliza*, his *Carolus* artibus
Nitens, eburneis accubuit Deûm
Menſis, & amiſſâ caducâ
Sydeream retulit Coronam.
Quæ nunc ruentem Dextra *Britanniam*
Fulcire poſſet? Quis niſi GEORGIUS?
Tu, Magne Princeps, Par labori,
Sceptra geres, *Britonum*que Curas.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Dum pondus axis *Tu* novus *Hercules*
Subis labantis, cuncta ſub ordine
Volventur æquo, & curſu eodem,
Te Moderante, feretur Orbis.

B. Tovey A. B.
Coll. Mert. Soc.

CUM vitam extremam traheret, lucemque ſupremam
Imperii lenis Mitiſſima clauderet ANNA,
Communis *Britonum* Gemitus ſimul ibat in auras,
Æternuſque Dolor ſubiit fidiſſima corda.
Intereà quà Fama volat, quà volvitur Æquor,
Per gentes ſternit mortalia pectora Luctus,
Et Genus Humanum in lacrymas effunditur: Eheu!
Nil melius terris unquam Divûm abſtulit Ira.
Sed ſimul ac *Scythicis* indignans Exul in agris
Audiit hoc *Mavors*, diro lætiſſimus ore
Europam aſpexit, Furiaſque vocans ululantes,
Egit equos volucres, currumque cruore madentem.
O REX! afflictis Spes, Lux, & Vita *Britannis*,
Tu ſævum noſtris avertes arcibus Hoſtem;
Reſpice ſollicitos Cives, Animoſque fideles,
Queis inſêdit Amor dilectæ Principis; O! *Qui*
Everſo ſolus poteris ſuccurrere Sæc'lo,
Diis charum Caput illuſtri Diademate cingens,
Accipe ſceptra manu ſemper geſtata potenti.
Seu *Te* Bella vocent, *Britonum* Genus acre ſequetur
Per cædes, ignemque ruens; ſeu Pace quieſcas,
Artibus & Muſis *Tibi* ſerviet omnibus *Iſis*.
Sis Bonus & Felix *Rhedycinæ*; floret in Illâ
Intemerata Fides, inimica Rebellibus Armis:
Teſtamur Faſtos, Proavos, & conſcia Divûm
Numina, *Carolidûm*que Animas teſtamur, & ANNAM.
Par etiam *Tibi* ſtabit Honos in *Palladis* Vrbe,
Inclyta dum Juvenes Patriæ & Pietatis amantes
Accendet Virtute, ſuoſque docebit Alumnos
Imperiis Regum teneras aſſueſcere Mentes.

Joh. Wainwright A. B.
Ædis Chriſti Alumnus.

REginam memorare jubet Dolor, occidit ANNA;
Occidit ANNA, decus Sceptri; plorate Camœnæ:
Sanguineis lacera, miſeranda *Britannia*, palmis
Pectora, ſcinde comas, non cauſa indigna ſerenos
Fœdabit vultus, nec habet Dolor iſte pudorem.
Quis ferus *Heſperiæ* telluris, & orbis *Eoi*
Incola, quem ſera attinget modò Fama *Britannûm*,
Temperet à lacrymis, cùm Noſtram morte ſubactam
Audierit Dominam, & Gentem Uno Funere merſam?
Illam non iterùm Patrum mirabitur Ordo
Fulgentem Solio; quantùm heu! mutatur ab *Illâ*,
Quæ modò pugnaces *Gallos* victricibus armis
Terruit, at tandem Vincendo feſſa repreſſit
Naſcentem Palmam, & Ramum prætendit Olivæ.
Cernere erat *Rhenum* majores volvere fluctus,
Cui toties ANNÆ licuit ſpectare Triumphos.
Qualem cœruleus queſtum ſub fluctibus *Iſis*
Audiit, Ipſe gemens, vicino ubi flumine notas
Muſarum Sedes, *Auguſtæ* aut mœnia lambit
Commixto curſu, Conjux ubi *Thameſis* Illi
Reſpondet paribus curis, æquatque dolorem!
Quis procul ille Sonus! quo fervent litora Plauſu!
Quidve frequens vult ille virûm Concurſus ad undas!
Anglia dejectos vultus, oculoſque natantes
Reflecte, & tacitum prætentent gaudia pectus.
En! niveis latè velis effulgere fluctus
Aſpicio, & roſtris ſpumare tridentibus æquor.
Urget *Amor* claſſem; blandi felicibus auris
Aſpirant Euri; nitidis caput extulit undis
Exultans *Nereus*, & lætâ fronte futurum
Agnoſcit Dominum, puppeſque impellit euntes.
O Quercus, Sacrata *Jovi*, dilecta *Britannis*!
Quam fidam in binos experta eſt *Anglia* Reges;
Tu, Ratis, *Heſperio* referens nova gaudia Mundo,
Grata veni; quanta optemus Tibi præmia? fias
Diva Maris, *Teucrûm* emeritas imitata Carinas,
Conjugiumque Tuum *Nereus* emat omnibus undis.
Gaudia quis *Britonum*, aut magnæ ſpectacula Pompæ
Verſu æquare poteſt? Læta omnia, *Rege* recepto:
Certatim accurrunt Pueri, innuptæque Puellæ,
Invalidique ſenes; non illos tarda ſenectâ

Genua

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Genua domi retinent; cunctis Nova Gaudia ſurgunt.
Nec minùs exultant Vates, Citharaſque relictas
Arripiunt, variiſque Modis attollere certant
Auguſti Famam, & dignâ celebrare Camœnâ.
Haud ſecus, Aurorâ lucem referente, Volucres
Protinùs exurgunt latebris, Solemque ſalutant,
Gaudia teſtantes Cantu, & plaudentibus Alis.

Rob. Mitchell

Coll. Ball. Commenſ.

DIve, Regnator Pelagi, *Britannus*
Sponte Quo *Cæſar* tumidi fatetur
Se Maris longè Dominum minorem,
Ipſe ſecundus;
Tu Viam *Æneæ* facilem dediſti,
Quæreret ſacri ſua cùm *Lavinî*
Regna, Tu Noſtrum, Sua nunc petentem,
Protege *Regem*:
Tuque, dilecti pariter Nepotis,
O *Venus*, Tutela, potens Profundi,
Sit precor Noſter Tua, fac, *Julus*
Maxima Cura
Vota ſic *Cypri*, *Venetûmque* Sacra,
Te, Deus Ponti, Dea, Te colentûm,
Vota gratorum ſuperent *Britannûm*,
Claſſe receptâ.

Herb. Beaver. A. B.
C. C. C. Diſcip.

EN! Ictu ſubito viduata *Britannia* languet,
Atque pio rursùm preſſa Dolore gemit.
Sic ANNAM, decus *Angligenûm*, columenque futurum,
Præcipiti rapiunt invida Fata manu!
Nunc ablatam avidis Nova Diva amplectitur ulnis
Progeniem, & fidi pendet ab Ore Viri.
An ſæva hinc Fata appellem, vel mitia? Fata
Heu nimis, ANNA, *Tibi* mitia, ſæva Tuis!
Te gemit abreptam cunctis *Rhedycina* Camœnis,
Flebilibuſque urget Plurima Nympha Modis.

Quin

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Quin premat immodicos rediviva *Britannia* Luctus;
Et nimiùm Ipſa Suos ANNA dolere vetat.
Ecce! optatus adeſt *Tibi*, felix Patria, *Princeps*,
Qui vibret parili tradita Sceptra manu.
Reginæ amiſſæ *Tu*, GEORGI, Damna rependes,
*Angligenas*que ANNA non Minor Ipſe reges.

Nathan. Drake

è Coll. Magd.

TE Rex bellipotens *Naſſavius* omine triſti
Emit, ab Auguſtâ non procul Urbe Domus.
Te fertur coluiſſe Aulis magis omnibus Unam,
*Hamptonioſ*que Tuis poſthabuiſſe Lares;
Surgenteſque arces cinxit fragrantibus hortis,
Verſaliæ ut cedant culta Vireta Tuis.
Quid, quòd veſtit agros non uſquam purior æther,
Et petit hinc certam plurimus Æger opem.
Civibus heu! præbet fruſtrà, Plebique ſalutem,
Si tamen auxilium Regibus aura neget.
Hic immaturâ *Gulielmus* morte peribat,
Ante ſuum hîc cecidit pulchra *Maria* diem.
Hîc ANNÆ Conjux fato demerſus acerbo;
Omnibus hîc tandem charior ANNA jacet.
Quin Te, Celſa Domus, *Cæſar* melioribus, oro,
Auſpiciis ſubeat, *Cæſareum*que Genus.
Tu Domino mites Zephyros, auraſque ſalubres
Exora *Faunos*, ruricolaſque Deas:
Georgius ut crudâ gaudens viridique ſenectâ
Europæ populos, & Sua Regna beet.
Sic Tua collaudans *Auguſtus* frigida Tempe
Præferat *Hamptonio Vinſorio*que Lari.
Aurea ſic altè ſurgant Laquearia cœlo,
Et tenerum lenis mulceat aura nemus.
Dum Celebris tandem ſervato Rege ſuperbis,
Et veterem deles laude recente notam.

Joh. Wigan

ex Æde Chriſti.

NUnc ite Luſus atque leves Joci,
Non quæro lætæ carmina Tibiæ,
Non *Lydiam* nunc Muſa curat,
Aut *Lalagen* malè pervicacem.
Me lacrymantûm murmura Civium
Infanda mœſtos ad Numeros vocant,
Versûſque *Reginæ* Sepulchro
Addere non vacuos honores.
Dum ſenſit Herbas & Medicas Manus
Minùs potentes; Quis labor Ingenî,
Quæ cura Divam vindicabit
Invidiâ fugientis ævi?
En! ANNA, Pubes ingeminat *Tibi*
Togata triſtis munera Næniæ;
Donare ſæc'lis Te futuris
En! properat pia Turba Vatum.
Cui ſurgit Ordo Carminis altior,
Hic cantat agros ſanguine ſordidos,
Victas & Urbes, & recludit
Fœminei Decus omne Regni.
At Ille plectro blandiùs aureo
Gentem duellis jam vacuam ſonat,
*Martem*que conſtrictum, atque Pacis
Non humiles memorat Triumphos.
Depingit Alter Cæſariem & Manus,
Pulchro & nitentem corpore Gratiam,
Non abſque Formâ vel *Deorum*
Invidiam faciente *Matri*.
Aſt O! Quis ardor vividus Ingenî
Deſcribat aptè corporis Incolam!
Quis Pectus æquum ritè dicat!
Quiſve Animam ſine labe puram!
Heu! quando Tellus inveniet parem
Britanna? Quis nunc Imperium geret
Verendus æquè? Quis Deorum
Tanta poteſt reparare damna?
En! ut recentis conſcia Gaudii
Fervent ſonoris Compita Plauſibus,
Et Vulgus indiſcretum, & uno
Deproperant Proceres tumultu.

En! *Rex* ovanti cingitur agmine,
Altuſque curru GEORGIUS aureo
Fertur per obſtantes Catervas
Obſequio nimiùm moleſto.
Fors *Ille* durum *Saxonidûm* Genus
In bella ducet non metuens mori,
Et Victor exauctam reviſet
Egregiis Patriam trophæis.
Nec, Pacis almæ degener artium,
Minùs fovebit *Pieridum* chorum;
Non *Ille* ſubmiſſum fidelis
Reſpuet Officium Camœnæ.
Qua Regna tendit cunque *Britannia*,
Regem *Hunc* vocabunt, *Hunc* Dominum æquoris,
Quacunque Mercator lucroſâ
Sollicitat pelagum Carinâ.

Tho. Hodges è Coll. Reg.
Sup. Ord. Commenſ.

DUM *Britonas* Luctus, ſolito crudelior, urget,
Atque intempeſto ſurgentia Gaudia fletu
Miſcentur, lacrymaſque haud *Ipſe* moratur obortas
GEORGIUS; egregias pangit *Rhedycina* Querelas,
Et gemitus fruſtrà Numeris eludere quærit.
Non invita unquam doluit pia Muſa, neque unquam
Heroum Cineri extremos invidit Honores:
Et quos indecori Virtus Divinior aufert
Plebi, hos Cœlo æquant, Turba haud ingrata, Camœnæ.
Sedibus æthereis dudum requievit *Eliza*,
Et quanquam laudes non aversâ imbibit aure
Virginei Regni, atque animum Sua Gloria mulcet,
Aſſurgit tamen ANNÆ, atque ultrò cedere gaudet.
At *Tu*, ſeu ſpatiaris amabilis Incola cœli,
Seu Diadema novum, *Regina*, atque altera Sceptra
Nunc geris, & *Tibi* quæ dederit Reverentia Divûm
Præmia, maturata nimis; *Tu* fortè revolvis,
Læta animi, quantum charis Benefeceris *Anglis*;
Nunc forſan Noſtros recolis, Tua Dona, Triumphos,
Et pulchram Pacem; & recolenti Gaudia creſcunt.
Fors etiam, cùm non Cœleſtia Pectora tangant
Humani Luctus, *Tu*, Sanctæ conſcia Vitæ,
Et *Britonum* lacrymis, Orbiſque dolore potiris.

O Fortunati Vates, queis tanta fidelis
Versûs Materia eſt! Quæ Vobis ſplendida Scena
Se pandet, Virtutum ANNÆ cùm dulcis Imago
Accendet pectus! Quæ veſtro Carmine *Princeps*
Sæcula regnabit! Tantùm nè mente reſurgat
Præproperum Funus, nec pendula corda recentes
Ad planctus retrahat Dolor, & Nova vulnera ducat.
At quos Clamores ſubitos Vidua Inſula tollit!
Quæ mœſtæ Genti lacrymarum Oblivia ducit
Lætitia! Ecce etiam diviſa *Europa Britannûm*
Exaudit Plauſus, atque invida Lumina torquet.
En! Aulæ obſtipant aditus, malè callida Turba
Legati, & blando Obſequio ſocialia ſupplex
Fœdera ſollicitant, & mutua jungier Arma.
Intereà *Hannovia* infelix Communia luget
Gaudia: Certè ANNÆ haud impar Pietate vel Armis
Fecerit hæc Heros: Salve, *Germanice Cæſar*,
Salve ingens Hoſpes. Nunc & Certamine pulchro
Componit Laudes *Tibi*, & æmula Carmina fundit
Omnis Muſa, Auremque Tuam ambitioſa requirit.
Sic poſt diſcedentem Hyemem Ver ruris honores
Inſtaurat, Volucreſque, obliti frigora longa,
Certatim facili modulamine Tempus amœnum
Inducunt, mulcentque agros, & tecta recondunt,
Quæ feſſos cantu foveant, Prolemque futuram.

Joh. Blackburne Armig. Fil.
è Coll. Æn. Naſ. Commenſ

FUderat *Auſonias Bonduca* animoſa cohortes,
Fœmineam & tremuit Martia Roma manum.
Aſt impar mediis animam expiravit in armis,
Et tantùm Victrix concidit Ipſa Sui.
Clarior emicuit, Claſſes cùm fudit *Iberas*,
Et ſterili Laurus carpſit *Eliza* Salo.
Conjunctas Harum laudes ſupereminet ANNÆ
Virtus, ut ſocias fulgida Luna faces.
Europæ populos diuturno Marte furentes
Ad Pacem arbitrio compulit Illa ſuo.
Hujus ope ſalvum Imperium, gratiſſime *Cæſar*,
Agnoſcis, rubras quà tulit *Iſter* aquas.

Fractus

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Fractus bello animum deponit *Celta* minacem;
  Gaudet & insuetâ *Belga* quiete frui.
Rheni potor agit grates, fastuque relicto
  Cantaber ante Tuos procidit, ANNA, pedes.
Toto orbe insanus Belli deferbuit Æstus,
  Et referunt læti candida sæc'la dies.
Felices nimiùm Divis movêre *Britanni*
  Invidiam, *Jovis* hîc dum gerit ANNA vicem.
Pax redit in terras; mox cœlos ANNA revisit:
  Anglia non duplici Munere digna fuit.

Tempest Thornton Armig.

è Coll. Univ. Commens.

EXequias, pompamque necis, Mortemque superbam
Funere Regali, & miserandam *Principis* Urnam
Humentes deflete Oculi; communis honestum
Mœrorem expectat Luctus, Crimenque Sepulchri
Sollicitat pronas lacrymas, memoremque Dolorem.
  Proh Regum periturus honos, fragilisque Coronæ
Gloria! non multo præclusum milite limen
Excludit fatalem hostem, non pompa ruinam
Pendentem avertit, nec Fatum Sceptra repellunt.
Induit hinc nigras viduata *Britannia* vestes,
Tristitiæ ornatum, tacitique insignia luctûs:
Sed licèt internus vigiles latet Horror ocellos,
Tempestatem animi magis exprimit; æstuat intùs
Fatorum asperitas, dum cura inclusa medullas
Exedit, molemque auget, viresque premendo.
  Nec satis est implere modos, formasque dolendi;
Hos Pater, aut natus, soror, aut nova Nupta requirit,
Vectigal commune oculis, semperque paratum:
Jam mortem ingentem, fatumque immane *Britanni*
Ploratis, Mortem *Reginæ*, ANNÆque Sepulchrum.
  Non tamen annorum cecidit sub pondere; longos
Feliceſque dies sibi promisêre *Britanni*,
Et solium æternum, regnumque in pace futurum:
Sola fuit Virtute Senex, & cana Triumphis.
  Ergone bellantem Requie pacaveris Orbem,
Ut Requiem ætheream, Majestatemque verendam
Cœlicolûm acciperes, immortalemque Coronam?

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Ergone tot votis ſurdas oneravimus Aras,
Et prece ſollicitâ venerandam implevimus Ædem,
Ut *Te* propitii ſumma Indulgentia cœli
Deſpectet, ſubitâque necis tueatur ab haſtâ?
Flectere fata Deûm fruſtrà ſperavimus: ANNÆ
Venit ſumma dies, & ineluctabile funus.
Quàm ſubitò rerum varians invertitur ordo!
Credidimus cœli jam detonuiſſe fragorem,
Atque avidas iſtâ ſatiari cæde ſorores,
Quâ ferri exitium, bellique inamabilis horror
Auxerat, atque Umbris denſatum impleverat, Orcum.
Sed jam plebeios temnit *Libitina* Triumphos,
Magnificaſque arces, Regumque excelſa frequentat
Atria, & audaci molem orbis concutit ictu.
Ipſa Anima Imperii, media inter vota *Britannûm*,
Occubuit; ceciditque Parens. Regalibus Urna
Lætatur ſpoliis, & Majeſtate ſuperbit.
Audivit Natura ſonum, infandamque ruinam
Europa obſtupuit, mœſtâque in mente revolvit,
Cui fatum Imperii tradat, Mundique Bilancem.
Non animi mora longa fuit; clareſcit ocellis
GEORGIUS, emollitque metum, abſolvitque dolorem.
Salve, ingens Tutela Orbis! Spes altera, *Princeps*
Salve! infelices liceat ſuſpendere curas,
Atque animum recreare pio mœrore ſolutum.
Ecce (*quod optanti Divûm promittere nemo*
Auderet) tandem rediviva *Britannia* cernas,
Reginæ Hæredem, virtute, & ſanguine, *Regem*!
Mœrentes, ſi quando vacet, magna Umbra, *Britannos*
Reſpice, & hos nobis miſerata repende Dolores.
Nulla Animos tangit (niſi Mors Tua) cura; *Jacobum*
Spernimus innocuum, & fictæ incunabula prolis.
Ambiguum abſcondit ſuppreſſa Rebellio vultum;
Roma filet; metuit *Lodoix*, & fœdera ſervat;
Ipſaque (quod mirum eſt) uno conjungitur ore
Factio, deponitque odium, Regemque ſalutat;
Et licèt auratos jamjam ſpectavimus Annos,
Rex ventura jubet ſimili flavere metallo
Sæcula, felicique orditur ab Omine Regnum.

Matt. Priaulx

Coll. Nov. Soc.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

O Quæ canoram, *Pieri*, temperas
Teſtudinem! ſeu *Pindus* amabilis,
Seu pulchra *Tempe* Te morantur,
Diva meos moderare cantus.
Cæa vocant Te munera Næniæ:
Nunc O! canendum lugubre nunc Melos;
Non tale Carmen, quale fuſis
Aonides cecinêre *Gallis*.
Heu! bellicoſæ *Quæ* modò *Galliæ*
Refregit Iras, *Quæ* modò *Cantabros*
Vicit ſuperbos, *Bavarum*que
Exuit Imperio minacem,
Jacet; nec *Illam* vel Pietas Sua,
Sanctive Mores, faucibus eximunt
Rapacis Orci: nec *Britannûm*
Vota animam revocant fugacem.
O chara Princeps, *Angligenûm* decus!
Te Nauta luget; *Te* lacrymabilem
Civis requirit; *Te* Senatus;
Te, propior Tua Cura, Myſtes.
Ergone fato præcipiti abripis
Sperata Pacis Gaudia? nec juvat
Te Templa Divis deſtinâſſe,
Magnifico decoranda Sumptu?
Quin, Muſa, finem pone doloribus;
Tandem Beatam define *Principem*
Lugere, *Quæ* permiſta Divis
Imperio potiore ſplendet.
En auſpicatis GEORGIUS *Albion*
Subit carinis! En hilaris Ducem
Salutat Urbs, & ripa lætos
Ingeminat *Thameſina* plauſus!
Sic cùm atra Cœlum Nubila cinxerint,
Si fortè Phœbus veſpere fulgeat,
Campi renident, incoliſque
Omne nemus reſonat canoris.

Edv. Jones ex Æde Chriſti Commenſ.

QUalis, virentis gloria *Libani*,
Umbroſa Cedrus fulminis impetu
Procumbit, & ſuaves ſub auram
Fundit humi moriens odores:

Talem ocyori ſæva Neceſſitas
Te tollit aurâ, *Maxima Principum*,
Charam *Britannis*, ultimamque
Nominis egregii *Stuartûm*.
At ſacra Virtus immeritæ mori
Intaminatis fulget honoribus;
Et Nomen immortale cæcæ
Eripiet Taciturnitati
Facunda Vatum lingua potentium,
Seriſque tradet Facta Nepotibus,
Moreſque ſanctos, dexteramque
Pauperibus referet benignam.
Defideratum dulce Caput Tuum
Nos flore vano ſpargimus: O dolor
Infandus! O triſtes honores
Ante diem Dominæ ſoluti!
Quin Tu querelis irrevocabilem
Urgere ceſſa, *Pieri*, Principem,
Nunc Hoſpiti gratare *Regi*, &
Necte Sacro Capiti coronam.
En quas ab alto fornice laureas
Per civitatem, REX, *Tibi* porrigit
Chorus Camœnarum! En ut omnes
Diique Deæque Tuum triumphum
Ornare certant! Hinc *Tibi* ſpiceis
Sertis revincit flava *Ceres* caput;
Hâc parte *Neptunus* tridentem, &
Imperium pelagi refignat.
Illic ſolutis caſſide crinibus
Stat *Pallas*; hîc *Mars* frendet aheneis
Vinctus catenis, læta ſuprà
Pax niveas *Tibi* pandit alas.
Tu per ſonantes lætitiâ vias
Curru triumphans duceris aureo,
*Natus*que, formoſæ renidens
Lumine purpureo juventæ.
Regnum *Hic* capeſſat tempore poſtero:
Nunc, Magne GEORGI, jura volentibus
Tu da *Britannis*, *Tu* potenti
Sceptra diù moderare dextrâ.

Tho. Hamilton Eq. Aur. Fil. Nat. Max.
è Coll. Oriel. Sup. Ord. Commenſ.

FRuſtrà *Borbonias* iras, animoſque ſubactos
Vidimus, & Pacem longi poſt tædia Belli
Compoſitam, & lætos dudum procedere ſoles;
Si tamen *Angliacos* eludant Fata Triumphos,
Damnaque ſopitas iterent renovata Querelas.
Fruſtrà Ego, venturi lætatus imagine ſæc'li,
Solennes cecini Plauſus, ſeroſque potenti
Reginæ promiſi annos, ſi *Quæ* Otia nobis
Indulſit, noſtri tandem ſit cauſa Doloris.
Tu tamen Auguſtis toties aſſueta Triumphis
Muſa, nec inviſas ſolers miſcere querelas,
Blandum pange Melos, ſi quid Tua Carmina poſſint,
Flecte minas Fati duras; ſic dicitur *Orpheus*
Eurydicen revocâſſe ſuam, *Stygii*que canendo
Demulſiſſe animos, & ferrea corda Tyranni.
Heu fruſtrà tendis chordas! En Fata volenti
Obſtant, & miſeros Una obruit urna *Britannos*!
At *Tu*, Quæ ſuperas repetis, Diva Inclyta, ſedes,
O dilecta nimis! patrioque incedis Olympo
Exultans Hoſpes, quà *Conjux* fidus aperto
Occurrit gremio, notiſque *Glovernius* ulnis
Hæret in amplexu; ſi, quos *Tibi* Patria fundit,
Reſpicias luctus, nec inania munera buſto
Affert, aut vanos temerè molitur honores,
Nulla dies unquam memori *Te* ſubtrahet ævo.
Sit *Tibi* chara Salus *Britonum*, & ſurgentia paſſim
Protege Templa, Tuæ Monumenta perennia Famæ.
Fallor? an afflictos miſeratur Diva *Britannos*?
Qui Procerum læti Plauſus! quæ Gaudia vulgi!
Quis novus Hic noſtris Princeps allabitur oris!
Qualis Honos placidi vultûs! quantiſque Triumphis
Inſignis graditur! quâ Majeſtate ſerenus
Imperio aſſurgit! Gratare, *Britannia*, Regi,
Inſtaurans læto feſtivum tempus honore;
Hic Vir, Hic eſt tibi Quem promitti ſæpiùs audis,
Cui, prodeſſe Suis cupiens poſt fata *Britannis*,
Imperii Faſces, geſtandaque Sceptra reliquit
ANNA, Sui ſemper monumentum & pignus Amoris.

Jac. Bouverie Baronetti Fil.

ex Æde Chriſti Commenſ.

O! Veneranda Ædes, quæ Sceptra recentia donas,
Curſu defunctis mox largitura Quietem:
Quantæ Relliquias animæ! quàm flebile corpus
Fornicibus recipis! quos Solis amabile lumen
Æternùm fugit; illa tenet triſtiſſima regna
Exanimis Princeps, nec jam ultrà Terra *Britanna*
ANNAM, ſic poſitam, & ſupplex venerabitur Orbis.
Dicite *Pierides*, nam vobis clara priorum,
Regum Geſta patent, & quæ ventura trahentur;
Dicite, num *Britonas* Major Pietate vel Armis
Ornavit Princeps, aut Talem poſtera nobis
Sæc'la dabunt? Non Sic *Caroli*, dilecta *Britannis*
Nomina, dilapſæ Fidei fulcire ruinas
Tendebant; non Sic laſſavit plectra *Britannûm*
Edvardus, pulchrè *Celtarum* Sanguine fœdus,
Cùm patriam *Creſſæ* repetebat Victor ab arvis.
Nunc patrios cœlos, meritumque aſcendit Olympum
Grata Hoſpes Superis; Quorum, dum vita manebat,
Arma tulit, ſacras Fidei defendere leges
Prompta, vel elatos Regum contundere faſtus.
Cognati circùm Divi ſeſe agmine fundunt,
Et Plauſu excipiunt venientem; inſtaurat Amores
Georgius abruptos, Matriſque amplexibus hæres
Implicitus, *Gloverne*, Tuæ: non aſpera lugent
Fata *Stuartiadæ*; non Illis mente reſurgunt
Perfidia ingratæ Plebis, ſpuriique Senatûs,
Proſcriptæque animæ Regum, divulſaque Sceptra,
Tædiaque exilii, Diriſque vovenda Securis.
ANNA, potens Armis & major Pace, labantem
Suffulſit Gentem; *Quæ*, ſemper digna Secundis,
Nunc tandem invenit Divos virtutibus æquos,
Victricique nitens Lauru, Bellique trophæis:
Jamque Suæ *Henricus* diviſos Gentis Honores
Teudorides plorat; dubius Decora ultima volvit
Steuartûm, meritiſque Suæ diffidit *Elizæ*.
Dum tamen in Cœlis lætos agis, ANNA, Triumphos,
Gaudiaque inviolata rapis, Suſpiria noſtra
Non poſcis, multi nec delectâre doloris
Obſequio; Plauſus *Britonum* & gratantia vota
Lætior exaudis, Tantoque Hærede ſuperbis.

*Tu*que

*Tu*que, Heros, cujus felix Præſentia luctûs
Dimovit querulum murmur, dulceſque reduxit
Muſarum Cantus, Vivas; atque Igne Poetas
Accendas generoſo, animeſque in pulchra Camœnas,
Siſque Argumentum nunquam illætabile Versûs.

Geor. Cox Coll. Magd. Semicom.

ERgo Dies deflendus adeſt! & *Te*, Optima Princeps,
Parca rapit! Tantumne licet crudelibus Orci
Imperiis? nec *Te* Pietas, neque fixa Trophæa
Per varios Orbis Tractus, neque Vota juvare,
Quæ fudit commota pio *Brittannia* Luctu?
Quanquam O! ſi celeres lethi tardaverat Alas,
Si *Te* indulſiſſet miſeris Libitina *Britannis*
Longiùs, & precibus nôſſet manſueſcere Parca;
Non Res venturas dubio *Brittannia* vultu
Quæreret, aut medios jam fleret mœſta Triumphos
Relligio abrumpi: Patriam Regina ruentem
Firmâſſet, ſtabilique dediſſet temnere Ventos.
Quin vixit ſatis ANNA Sibi, *Quæ* Sceptra Tyrannûm
Excuſſit manibus; *Quâ* Vindice, Terra catenas
Exuit: & *Ligeris* compôſtâ molliùs undâ,
Et ſua *Danubius* jam libera flumina torquet.
Auſpiciis ANNÆ, medii *Brittannia* Ponti
Clauſtra tenet, Portuſque ſuos *Mahona Britannis*
Pandit, & everſas plorat *Dunkirkia* Turres.
Auſtrales dedit ANNA Undas impunè *Britannis*
Sulcare, & *Scotûm* docuit miteſcere Corda;
Et jam majores volvebat pectore Curas:
Quin *Marii* prohibent, & Fatorum invidus Ordo.
O Dilecta Deis Anima, atque extrema *Stuartûm*
Progenies, nimios regnandi experta Dolores!
Sed tamen orbato populo ſuccurrere Divi
Feſtinant; felix plaudat *Brittannia*, tradi
Regna *Tibi*, LODOIX, *Cui* Regum ſanguine Venæ
Diteſcunt, *Quem* ornat Virtus digniſſima Sceptris.
Quippe Tuæ Gentis proprium eſt, LODOICE, ruentem
Suſtentare Fidem; non hâc Domus ulla Catenas
Promptior excuſſit Papæ: Veſtigia Patrum
Ipſe premas; Gentem patriâ Virtute rebellem
Disjicias, *Romæ* quæ Fraudes, æmula *Romæ*,

Exercet, ſanctaſque Dei ſubvertere gaudet
Leges, & Regum ſacrata revellere Jura.
Qualem turba Fidem præſtat Fanatica, nôrint
Steuarti, quid Amor valeant & Mollia Regna.
Ad veſtri Imperii Famam jam *Celtica* Tellus
Horreſcit, *Rhodanus*que ſuperbas comprimit Undas.
Te Gallus, *Te Turca* timet, Quem Marte potentem
Senſit uterque Ducem; Patriæ fulcire Ruinas
Seu placeat, Fideive Hoſtes contundere Bellis,
Nulla Tuos fiſtent Civilia Bella Triumphos;
Quem Populi Plauſus, fidi *Quem* Vota Senatûs
Ad Regnum expoſcunt; *Quem* Regum Stemmate longo
Ortum, Regales ambire videntur Honores.
Non dubii Partus, non Proles ficta *Britannos*
Diſtrahet, aut Bellis dabit Argumenta futuris.
O Princeps dilecte Deis, & Honoribus aucte
Uſque novis! *Quem* grata ſuis *Germania* ſummis
Principibus miſcet, poſcit nunc *Anglia* Regem;
Urge Fata ſecunda: Tuis, LODOICE, fruaris
Auſpiciis, ANNÆque regas Pietate *Britannos*.

Joh. Keyte Baronetti Fil.
è Coll. Univ. Commenſ.

CUM jam laſſati Martis cecidêre furores,
ANNAque per Gentes mollia Jura dedit;
Victrices Palmæ triſti ceſsêre Cupreſſo,
Et fuſas Lacrymas Pax rediviva videt.
GEORGIUS accepit quos ANNA reliquit Honores,
Et radio renovat fulgidiore diem.
Grande opus Ambobus fuerit; componere Pacem
Hæc viſa eſt nobis Nata, ſed *Ille* frui.

Jac. Jenkinſon Baronetti Fil. Nat. Min.
Coll. Magd. Semicom

Ad *Principem*.

FAuſtis Auſpiciis feſtina ſumere, GEORGI,
Quos Tua dat Titulos *Cambria* læta *Tibi*.
Præſide *Te Cambris*, inglorius Exul Honores,
Quos geris, haud auſit dicere jure Suos.
Quâ dubiam Prolem oppugnavit *Cambria*, eâdem
O *Britonum* Princeps! *Te* colet *Illa* Fide.

Hugo Williams è Coll. Jeſ. Socio-Commenſ.

O Spes eluſas! O fata adverſa *Britannûm*!
Ergo agit inviſos victrix Libitina triumphos?
Nec Pietas ſpectata juvat? ſanctæque verendus
Majeſtatis Honos? quin *Te*, *Regina*, ſepulchro
Quam temerè immunem, & Superis ſperavimus æquam,
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo!
At Vos, O! chari Manes, Cinereſque, beatæ
Relliquiæ dulces Animæ, venerandaque Buſta,
Nulla dies unquam temeret; dum triſtis Honores
Indicit memores, mœſtaſque *Britannica* Pubes
Inſtaurat Pompas; quos poſtera ſemper acerbos,
Semper honoratos ſervabunt ſæcula Faſtos.
*Tu*que etiam, æthereas exornans Incola ſedes,
Reſpice ſollicitas, quondam Tua Gaudia, Muſas;
Ut fervet *Phœbea* cohors! meritaſque corollas
Dilecto nectit Capiti, lapſique revolvens
Annales ævi, felicia tempora narrat,
Heu brevis, ANNA, Tui repetens Primordia Regni!
"Talis eras, *Princeps*, cùm læta *Britannia* Sceptrum
"Mandavit, Faſceſque ſacros; cùm Regna Tuorum,
"Et Proavûm Famam extendiſti ingentibus Auſis;
"Talem *Te* ſuperas Pietas evexit ad arces,
"Sanctaque Simplicitas, & cœlo debita Virtus.
Quid referam partos terrâque marique Triumphos,
Angligenûm audaces animos, *Bavaros*que fugaces,
Et *Senonum* everſas Acies? Pia reſpicit ANNA
Effuſas animas, ambitque in fœdera victos,
Pacificâque manu mitem prætendit Olivam.
Jam diræ Scenæ diſcedunt, altera rerum
Aſſurgit facies, fauſtâ ſub luce videmus
Lætos ire dies, dum fractæ Diva Quietem
Dat Patriæ dulcem, laſſatoque Otia Ferro.
Quis tamen, ANNA, Tuas Vates, quis Carmine dignas
Æternet juſto Laudes? *Cui* templa tueri
Cura ſubit, ſanctaſque Aras; *Quâ* ſoſpite, vera
Relligio aſſeritur, fugit en! Fanaticus Error,
Puraque concelebrat priſcos Eccleſia Ritus.
Hinc *Britonum* effuſi queſtus, hinc pectora frangunt
Heu gemitus inſueta pati! quando Alter honores
Firmabit veteres? Quis molem, & pondera tanti
Aſſeret Imperii, & viduatas proteget Aras?

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Parcite quin, *Britones*, ſævo indulgere dolori,
Et pia ſedatis requieſcant pectora curis;
Ecce! novus ſupereſt *Cæſar*, *Qui* lumine claro
Diſcutit horrendas tenebras, patriæque labanti
Succurrit, dubiiſque affert ſolatia rebus.
O Decus æternum, & ſceptri Tutela *Britanni*!
Salve invicte Heros; *Tibi* Regna, & Templa, ſuaſque
Aras commendat, ponitque *Britannia* Luctus,
Imperio rediviva Tuo; *Tu* mœſta rependis
Funera, *Tu* placidâ felices Pace *Britannos*
Efficis, &, quales voluit Nos ANNA, Beatos.

Phil. Boteler Baronetti Fil. ex Æde Chriſti
Sup. Ord. Commenſ.

O! Superûm quis me Regali ſiſtat in Aulâ,
Quà libet Auguſtos Cineres, Animæque verendæ
Spectare exuvias; lacrymarum ut fungar inani
Officio, juſtoque remittam fræna dolori?
En! video, infandis confuſa Palatia damnis
Triſtè fremunt, ſtridentque ululatibus; omnia complent
Fletuſque, & gemitus, & non lætabile murmur.
In medio Regina gravi jacet obruta morbo,
Cauſa Mali tanti; cognata effugit ad aſtra
Divæ Pars melior, Populo mortale reliquit
Deflendum miſero Corpus; novi Ora, manuſque,
Ambroſiamque comam, neque adhuc Sua Forma receſſit;
Non abiit fulgor; ſtat amœnæ gratia Frontis,
Nec vel morte perit placidi Clementia Vultûs.
Aſt O! non Qualem *Danus* conſpexerat Heros,
Spargentem flammas oculis, nitidâque Juventâ
Conſpicuam, magno cùm corde admiſit Amorem,
Et lætus placido totum ſe tradidit Igni.
Quà Diva inceſſit, tunc Gaudia mille ſecuta,
Blandus Amor, Riſuſque leves, & læta Voluptas;
Materiam primò nunc præbuit *Illa* Doloris.
En! cerno ut Proceres mœſto ſtant agmine circùm,
Et taciti lacrymis irrorant grandibus ora;
En! ſtat parte aliâ Nympharum lucidus ordo,
Ora piis nimiùm fœdant lacerantque capillos
Unguibus, & querulas tollunt ad ſydera voces.
Has inter, Nympha ante alias dilectior ANNÆ

Multa

Multa ſuper fato queritans, & ſydere acerbo
Multa ſuper, fingultanti ſic incipit ore;
Incipit, & niveis contundit pectora palmis,
Exclamans: "Ergo clauduntur Lumina nocte
"Perpetuâ! Ergo Lingua filet, Cui mellea fandi
"Copia, Cui dulces fluxerunt pectore rores!
"Non Tua *Te* Pietas, non *Te* cœleſtis Origo,
"Divinuſque Animus rigidi lege eximit Orci!
"Flectere ſi Superos valuiſſent Vota Tuorum,
"Spes foret, ut poſtquam Belli ceſſaverat ardor,
"*Tu* regeres longâ felices Pace *Britannos.*
"Jam virides nullo fœdantur ſanguine campi,
"At patriâ cuncti ducunt ſecurius ævum,
"Mille Animæque Tuo jam Munere luce fruuntur.
"*Tu* tamen ah! moreris, *Tibi* nec crudelia parcunt
"Sydera: *Me* precor O! ſimili, Dii, perdite fato,
"Addite *Me* Comitem – Hîc prohibent ſuſpiria voces,
"Cætera dum gemitus referunt, lacrymæque loquaces.
Intereà volitat concuſſam fama per urbem
Pennata, & celeres ſpargit per compita luctus;
Illicò cœptum torpet opus, ſolertia gnaras
Deſtituit dextras, abruptaque penſa relinquit;
Non ultrà Luſus pueros, teneraſve puellas
Suetus tangit Amor; Senibus non cura lucelli;
At ſimùl ingeminat planctus, raptamque requirit
Omnis turba Deam, atque æthera queſtibus implet.
Qui potis eſt hominum tantos ſedare dolores?
Quis Deus effuſos lacrymarum temperet æſtus?
Te, GEORGI, *Britonum Te* Nomen amabile genti
Expectat Populus, multâque frequentèr ad aras
Numina ſollicitat prece, ne nimis invida nectant
Fata moras, tardentque ægri ſolamina Regni.
Obſcurâ cùm ſe deprenſum nocte viator
Conſpicit, & tenebris nigreſcunt omnia circùm,
Laſſus humo recubat durâ, dubiuſque viarum
Flet noctem, variis & curis dividit horas;
Craſtinus at radiis cùm Sol diſcriminat arva,
Indigitatque viam dubio, feſtinat in urbem
Lætus, & ancipites mittit cum nocte timores.
Sic ſimul ac *Britonum* felici allaberis oræ,
En! Lacrymæ ceſſant, En! Cura recedit in auras
Pernix, venturo lætantur & omnia Sæc'lo.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Carminis O! mihi *Te* dignus ſi ſurgeret ordo,
Et Dolor audaci jam non obſiſteret Auſo;
Muſa Tuæ, GEORGI, venturæ conſcia Famæ,
Te caneret prudentem animo, rectique tenacem,
Te ſimilem *Tibi*, *Te* nullâ virtute carentem;
Vel campo hoſtiles agitantem fulmine turmas
Pingeret, & fortem, intrepidumque per ardua Belli,
Omnia venturi reſerans Miracula Regni.

Boteler Chernocke Baronetti Fil. Nat. Max.
è Coll. Mert. Sup. Ord. Commenſ.

CUM totâ *Europâ* fremuit Mars impius armis,
Et conjuratas in mutua funera Gentes
Accendit; latos quàm humano ſanguine campos
Luxuriare dedit! quàm alto de culmine turres
Disjecit varias, & miſcuit omnia ſtrage!
ANNA, Decus *Britonum*, jam tandem expleta Triumphis,
Excuſſit totum pacato pectore Martem.
Sanguineis Orbem nolit ferveſcere bellis,
At miſerata ſuos, dixit, Diſcordia cedat;
Dixit, & agnovit magnam Diſcordia vocem,
Frendenſque ad noctis ſquallentia regna refugit.
Mollibus imperiis ductæ, Tua Munera, Pacem
Gentes accipiunt, & corda ferocia mulcent.
Nos, quibus à Patriâ atque ignotis contigit arvis
Oppetere, & ſterilis quos tota Injuria Belli
Urget, per placidè labentia tempora Pacis
Vulnera reſtitui ſperavimus, omnia fatis
Refluere, & lætos iterùm procedere ſoles.
Sed brevia hæc magni diſrumpunt Gaudia Luctus:
Quàm virides Laurus perimit vicina Cupreſſi
Umbra! & quàm ſubitis facies nitidiſſima Cœli
Nubibus eripitur! Quàm *Europæ* Gloria tranſit,
Et *Britonum*! poterant *Quam* ſæcula poſtera Magnam
Suſpicere, En! jacet immaturi Victima Fati.
ANNA, Tuæ Mortis magnas cùm it fama per urbes
Angligenûm, quantus trepidantia corda Tuorum
Invaſit tremor! Haud tantos Tua Fulmina *Gallis*
Incuſsêre metus; magis haud tremefacta rubentem
Roma Jovis dextram timuit, cœleſtibus iris
Cùm flagrans ſacras *Capitoli* proruit Arces.

Invidet

Invidet an Nobis *Te* charam Regia Cœli?
An *Te* chara vocat *Gloverni*, an charior Umbra
Georgî, ut tam properè redeas in regna Deorum?
Quà cœli Ordinibus maturè adſcripta quietis,
Tu ſpectas Superos, Superis ſpectabilis Ipſis.
Cogeris an patrias invita relinquere ſedes?
Non Tua *Te* Virtus, quæ colla tumentia tactu
Leniit, atque aliis inſtantia fata removit,
Non *Te* ſecuram poterat ſervare Sepulchro.
O Sublimem Animam! quæ *Te* tam læta tulerunt
Sæcula, qui tanti Talem genuêre Parentes?
Te Bello exultans celebravit Muſa tonantem,
Defunctamque pari mœrens celebravit honore.
Magnificam Molem, quæ triſti vertice cœlos
Tangit, funereâ cumulemus fronde, & amico
Luxu exornemus: Lacera illa Inſignia Belli
Quæ tulit; in quâ clara habitat *Blenheimea* vallis,
Sanguinolentus ager; quæque ANNÆ fortia laudant
Arma, ANNÆ nunc illuſtrent lacrymabile Buſtum.
Lilia nec deſint *Lodoïci* fronte revulſa
Huic Pompæ lugubri; manibus date Lilia plenis,
Lilia ſparſa dabunt totum palleſcere funus.
Hinc atque hinc ſævus rugiat Leo, & omnia queſtu
Impleat, amiſſam Dominam dum voce requirit
Horrendâ; atque illic muteſcat victa dolore
Juvernæ Cithara, & cunctorum oblita Modorum
Pendeat in longum, nec grata ſilentia rumpat.
Spes tota *Angligenûm*, Tecum, *Regina*, perîſſet,
Nî Par Succeſſor ſurgat, ſimiliſque Priori,
Æqualique manu libret *Qui* pondera Regni.
Sic ubi ſtellatum indefeſſis viribus Orbem
Atlas ſuſtulerat, multâ cum laude receſſit,
Permiſtuſque Deis micuit novus Incola Cœli:
Mox ſubit *Alcides*, humeroque valente labantis
Axis onus ſuffulcit, & ingens mole ſuâ ſtat.

Hen. Tempeſt Baronetti Fil. Nat. Max.

è Coll. Univ. Sup. Ord. Commenſ.

O! quoties Vatum turba officioſa loquuta eſt,
Anna, Tuas Laudes, alacriſque ad Carmina dignos
Certatim, ſua dona, *Tibi* perſolvit honores;
Et gratum Muſis non defuit Argumentum.
Seu *Tu*, fulmineis impellens viribus hoſtem,
Prælia miſcebas; facilis Victoria veſtris
Ceſſerat Auſpiciis: cauto neque profuit Hoſti
Munitis hæſiſſe locis, campove patenti
Eduxiſſe aciem, nec Diis nec viribus æquis.
Seu *Te* exercebat Pietas, Tua proxima Cura,
Relligione ſuper; ſurgentia Templa videmus,
Atque Dei Cultum ſacris altaribus auctum.
Ex quo foviſti gremio, tenuemque miſerta es
Fortunam Cleri, felix Eccleſia cœpit
Triſte levare caput, ſolitoſque oſtendere vultus:
Reginæ quid enim non Indulgentia ſuaſit?
Præcipuè celebrare pios pro Pace Labores
Muſarum Chorus omnis amat; modulatur avenâ
Majori carmen; poſt longa decennia Feſtos
Inſtaurat *Rhedycina* dies, atque omnis in *Illâ* eſt:
En Annam Europæ felicia fata regentem!
En Annam juſto librantem examine terras!
Regibus ut ponit Fines! ut dividit Orbem!
Quæ tantæ tenuêre moræ, quæ obſtacula rupit,
Nota ſatis, farique piget: tamen eſſe Beati
Cogimur invitò. Dumque has *Oxonia* laudes
Reginæ parat, & grato ſub corde recondit,
Viſa ſibi eſt nimiùm felix: proh cæca Futuri
Gaudia, Conſiliique latentis neſcia Fati!
Ingentes olim meditans Libitina Triumphos
Reginam petiit; fruſtrà: nam Publica Vota
Atque piæ vicêre Preces; jam certa fruendi
Omnes effudit vires, & vulnere multo
Afflictam ſternens, ægros depaſcitur artus:
His ſimul auditis, gelidus per dura cucurrit
Oſſa pavor, molles penitus penituſque medullas
Exedit, longis ſingultibus ilia pulſans;
Hinc Dolor, hinc animum Spes alternata fatigant.
Sed jam certa fides; veniunt delata per auras
Murmuraque Planctuſque graves: Præſaga mali mens
Agnovit gemitum; Tua, *Kenſingtona*, reſultant

Atria

Atria lamentis, queſtuſque per aſtra volutant.
Mœſtæ intus Famulæ teneros laniare capillos,
Pectora pulſare, atque humeris abſcindere veſtes;
Nequicquam: dulceſque animæ fugêre, nec ultrà
Suſpiciant Dominæ vultus, atque ora benigna.
Hei mihi, Qualis erat! quàm ſuavis plena Pudoris
Eluxit Gravitas, faſtu jucunda modeſto!
Quæ Vis Eloquii! blandæ Quæ gratia Linguæ!
Quàm Bello, quàm Pace potens! Nil, ANNA, relictum eſt,
Culmen utrumque tenes; à quo leviore volatu
Tellurem ſpernens, cœlos & ſydera tangis.
Quin ad *Te* Lacrymis rorantia Lumina, GEORGI,
Flectimus; ignoſces Lacrymis, quas protinùs omnes
Siccabit Tuus, ut primùm ſe admoverit, Ignis.
Ergo veni, nimis expectate. En! aſpicis Urbem
Promiſſam, & fatis olim *Tibi* debita Regna.
Quò tamen iſte Metus! quò tanta Pericula, demens
Quæ paſſim ſevit populus rumore finiſtro!
Ut citò vaneſcunt, & nubibus irrita cedunt!
Uſque adeò nihil eſt, jurare & fallere Numen?
Tam leve, funeſto Patriam miſcere tumultu?
Quò tamen abripior? ſævis non ampliùs Iris
Ardeſcent Animi: tranquillo ſæcula curſu
GEORGIUS ire jubet, ferventes ſupprimit æſtus,
Et Nutu Auguſto ſpumantia Pectora mulcet.
Sic ubi præcipites ſurgunt violentiùs Auſtri,
Et mare turbatum miſcent; ſimul atque Tridentem
Criſpat *Neptunus*, fuſiſque ſupervenit undis,
Mox rabiem fremitumque ſilenti murmure ponunt.

Car. Mordaunt Baronetti Fil. nat. max.
è Coll. Nov. Sup. Ord. Commenſ.

DUdum Læta volens dicere, pervolo
Chordas innumeris motibus impiger;
Reddit Chorda rebellis
ANNAM flebilibus Modis;
Urgentem memorans fulminibus leves
Gallos, attonitos Cladibus Annuis,
Et Diis hoſtibus actos:
Aut Pacem generoſiùs

Præbentem, Populis dum Requiem parat,
Et, reddens Dominis rapta prioribus,
  Pacati Imperia ingens
    Mundi dividit Arbitra.
ANNAM nunc Superûm dicit amabilem
Cultricem, utque piis grata Laboribus
  Divis Templa ſtruebat;
    Curas nunc canit ultimas,
Tutas ut faceret GEORGIUS *Angliæ*
Aras; non aliis Conditionibus
  Sic perpeſſa moleſti
    Regni Tædia ſplendida.
Lætos quære Modos nunc alacris Lyra,
Et quales madidus lufit *Anacreon*:
  Tantos fallere pollens
    Luctus, GEORGIUS advenit.

Rob. Salisbury Cotton Baronetti Fil. Nat. Max.
è Coll. Æn. Naſ. Socio Commenſ.

O ANNÆ longùm, *Rhedycina*, aſſueta Trophæis!
Seu Bello victrix ſervilia contudit arma
Celtarum, aut egit majores Pace Triumphos;
Nunc plauſus Fata abrumpunt; nunc Carmina primùm
Triſtia ſollicitat Muſæ Regina *Britannæ*.
  Alma Parens! lapſos dilectæ Gentis Honores
Reſpice, & heu! fluxum fato volvente *Stuartûm*
Imperium! lætis *Te* ſemper fovit ocellis,
Blanda Domus, petiitque Tuos, *Rhedycina*, receſſus,
Sive Lues victrix ægras vitiaverat arces
Auguſtæ, aut Pietas armârat regna Rebellis.
  Tange memor chordas, *Rhedycina*; Suprema *Stuartis*
Jam Sacra inſtituis; ſiquid Lyra mœſtius edat,
Elicias: Geſta antiquæ immortalia Stirpis
Commemores triſtis, cumulataque funera plangas.
  Ah! quàm diſſimilem Pompam, *Regina*, Camœnæ
Inſtruxêre *Tibi*, nuper *Sheldonia* Moles
Cùm latam expandit portam, Procereſque frequentes
Excepit gremio ridens, cœtumque potentem
Ingenio, & denſæ ornârunt Spectacula Nymphæ;
Cùm reſonum *Aonio* celebravit Marte Theatrum
Finita & Bella, & redivivæ munera Pacis;

Cùm

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Cùm *Tibi* victrices, docto certamine, Laurus
Oxonidûm aptavit Pubes, reduceſque Triumphos
Erectæ cecinit Fidei, atque benigna Senatûs
Decreta, & nullis mulctatas Cenſibus *Artes*;
Cùm niveos, Regina, dies *Rhedycina* vovebat
Fida *Tibi*, & vegetam, vanâ pietate, Senectam.
At *Tu*, Magne Heros, ANNÆ *Qui* Sceptra capeſſis
Hæres, exultat *Quo* læta *Britannia* Rege;
Officioſa Tuos ſi fœdet Muſa Triumphos,
Hoc ſaltem juſto *Britonum* concede dolori;
Dum, lacrymis perfuſa piis, perſolvit Honores
Oxonia extremos ANNÆ, Nomenque tenaci
Corde fovet, *Te* Muſa docet, Chariſſime Princeps,
Quales mœſta *Tibi* Laurus *Rhedycina* parabit,
Quali, cùm ſerò Cœlos Proavoſque reviſes,
Ornabit pietate Tuum, LODOICE, Sepulchrum,
Qui regis *Angligenas*, & Diis & viribus æquis.
Te Juvenem meritâ cinxit *Pannonia* lauru,
Sternere *Quem* vidit Lunatas impete Turmas
Fulmineo; fruſtrà inſonuit clamoribus æther
Turcarum, & fruſtrà *Mahometem* in prælia poſcunt.
Tu res firmâſti Patriæ, LODOICE, ruentes,
Latè *Teutonicis* fureret cùm Victor in Arvis
Villarus, *Celtæ*que jugum, atque inviſa tremiſcens
Imperia, urgeret trepidas *Danubius* undas.
Tu Britonas Virtute tegas – Gentiſque revolves
Quando Tuæ Faſtos & magna Exempla, Parentis
Sis memor, & Patria in Sacris Veſtigia ſerves.
Tum demum abreptam deflebunt parciùs ANNAM
Oxonidæ, placidâque reges in Pace *Britannos*.

Gul. Hen. Cane A. M.

Coll. Magd. Semicom.

MUtis des lacrymis tandem indulgere: dolentem
In Numeros quid me denuò, Muſa, rapis?
Sin *Rhedycina* Suâ ſpolietur *Pallade*, ademptâ
Pallade, quæ verſus Muſa negare valet?
Muſa acuit tardos ſenſus; animique viciſſim,
Quos urget, gemitus dulcè canendo levat.

Cur ANNAM è mediis tollis, Mors ſæva, Triumphis?
Num quòd majores invida Fata parant?
Quis jam præſtabit viduæ blanda Otia Genti?
Æmula Quis parili Templa nitore ſtruet?
Quis tam larga piis effundet Præmia Muſis?
Quis tantos Luctus, Gaudia tanta dabit?
Tu, GEORGI, infandos poteris mulcere Dolores;
Tu Spem, quam moriens abſtulit ANNA, dabis.
Sic poſt diſperſos prodit Sol clarior imbres,
Atque novum in cœlis præcipit ire diem.
Siqua inſit Virtus *Germano*, ſiqua *Britanno*;
Fatum in *Te* plenâ junxit Utramque manu.
Sola ANNA hoſtiles Reges, *Tu* corda furentûm
Inter ſe *Britonum* conciliare vales.
Nullæ jam reſtant Lites; fidiſſima Amoris
Sit niſi Certamen Pignora ferre *Tibi*.

Hen. Muxloe A. M.
Coll. Ball. Soc.

S*Arisberenſis* Præſidium *Chori*,
Decane, & Aulæ grande Decus, Tuis
Nutrita Præceptis colebat
ANNA Deum, veteresque Ritus.
Virtutis ANNÆ *Tu* propiùs Sciens,
Tu Damna nôſti; Fletibus humidos
Vultus honeſta, nec decoram
Reprime Luxuriem Doloris.
Quin ſume Chartas; *Te* juvet Integram
ANNAM remotis tradere Poſteris;
Sit dulce Lenimen referre
Eximiè Fidei tenacem.
Si Sortis olim *Te* Comitem arduæ
Experta, (Sancto freta Satellite)
Aræque vix tutæ Miniſtrum,
Ac Dominæ, pariter fidelem:
Conclave Sanctum ſi *Tibi* Gloria
Piæ frequenter pandere *Principi*,
Reclude jam caſtos Receſſus,
Atque ſacræ Penetrale Mentis.

Depinge,

Depinge, poſſet ritè quid Indoles
Imbuta Curâ *Cæſaris* Auſpicis,
Dum molle formaret recentis
Carolus ingenium Puellæ:
Fallacis Auræ ut neſcia, Splendidè,
Quas *Roma* Fraudes texuit Artifex,
Contempſit, infecit Tenellam
Nec Vitiis peregrinus Error!
Te Veritatem clariùs Indice
Senſit perennem; tutiùs *Hoſtiam*,
Cœleſte Munus, *Te* rogavit
Ore pio, innocuiſque Palmis.
Dic, *Pane* Qualis ritè fruens *Sacro*,
Intaminati Pectoris Impete
Ardente ſcandit, pertinaxque
Æthereas ſuperavit Arces.
Hinc riſit *Illi* plurima Adorea;
Hinc Pacis almæ Præmia rettulit
Optata, Sic pollens tueri,
Sic miſeras relevare Gentes.
Fruſtrà *Britannis* ſed brevè creditam
Divos repoſcas, heu! nimis invidos;
Averſa jam primùm precanti
Te miſerum, Populumque liquit.
Nunc & *Stuartûm* cœtibus addita
Perluſtrat omnem Diva Propaginem,
Et laſſa reſpirat Triumphis,
Aſtriferam radiata Frontem.
At uſque blandis Luminibus vigil,
Suiſque Regnis provida, GEORGIO
Gratatur acceptos Honores
Imperii, meritoſque Faſces.
O! Cura regnes Publica Civium,
Fallatque Gentes ambiguum Tuas
Diſcrimen, an *Te* Regem amârint
Saxonidæ magis, an *Britanni*.
Lætetur almas fauſta *Britannia*
Luces renaſci, nec ſine Numine
Præſentis AUGUSTI, Fidemque
Et Patrios ſupereſſe Ritus.

Tho. Toppinge A. M.

Coll. Magd. Soc.

MOesta pullatas *Rhedycina* veſtes
Induit, plorat viduata *Mater*
Alma, Reginæ monumenta condens
Flebilis ANNÆ.
Occidit gentis Decus, & fidelis
Angliæ Cuſtos; Pietas nec *Illam*,
Nec juvat Virtus; ſecuêre Fata
Stamina vitæ.
Deſerit terram, at ſolio coruſco
Aſſidet, regno potiore gaudens,
Carolus felix ubi nunc triumphat
Sanguine fuſo.
Incipit dictis memorare lætus
Anxias curas *Avus*, impiorum &
Impetus, per quos Sibi tanta cœlis
Gloria fulſit.
Interim ſurgit *Tibi* Pompa laudum,
ANNA, dum in cœlis ſine labe vitam
Audiant, terris perhibentque honorem
Munera Clero.
Quem Suis *Regem* Superi *Britannis*
Evehent? Quem nunc Columen futurum,
Qui regat Sceptro populum volentem,
Numina ponent?
Templa Quis ſervet, ſimul & catenas
Inferat ſævis ſimilis *Tonanti*
Hoſtibus, famæ & Patriæ dolentis
Conſulat æquus?
Excipit faſces animoſus Ille
GEORGIUS, multis validiſque pollens
Viribus, *Gallum* celebriſque in hoſtem
Emicat armis.
Hic potens rerum ſubiget Rebelles:
Hic ſalutari reget æquitate:
Fortis *Hic* promet Moderator enſem, &
Proteget *Anglos*.

Rob. Pearſe A. M.

Aulæ Sti. *Edmundi* Vice-Principal.

NUllæ ergo valuêre Preces! nec Publica Vota
Inſtantem potuêre Ictum differre, Sororum
Quem Decreta jubent, & Fati immobilis ordo!
Mors ſua quemque manet: Sed quò *Te* proripis, olim
Certa Tuis Tutela? moras ſaltem *Anglia* parvas
Præcipitis Lethi oravit, Tempuſque caducæ
Optavit Reginæ; at quid ſpem fovit inanem?
Omnia nunc reſonant commixto Compita Fletu;
Maxima materia eſt luctûs: Quas *Anglia* ſentit
Quis tantas narrare poteſt, vel fallere Curas?
Non cœptæ aſſurgunt Ædes, non ulla labori
Dextra inſtat, pendent Opera interrupta, perennem
Quæ dederant ANNÆ Famam, Cultumque *Tonanti.*
At non hæc patitur Rerum Cui tradit habenas
Anglia; juſtus adeſt Princeps; geret *Ille* minorem
Se Superis, longùmque indicet jura *Britannis*;
Reginæ *Ille* pari æquabit veſtigia paſſu;
Ad Cœlos nova Templa dehinc Capita ardua tollent,
Annuet atque piis Inceptis GEORGIUS ANNÆ.

Rob. Bright. A. M.
Coll. Omn. Anim. Soc.

Ad Celſiſſimum GEORGIUM AUGUSTUM *Principem* Walliæ *&c.*

MItis læta tuæ vota *Britanniæ*
AUGUSTE! accipias, & Titulos boni
Arthuri, atque Ducum, quos *Aborigines*
Jactat priſca memoria;
En! Gens fræna *Tibi* ſponte dat Imperî,
Quam nec *Danus* atrox, nec rigidus *Juta*,
Nec *Gallus* potuit vincere millibus
Per tot ſæcula Prælìis;
Libertas populi, Juraque Patria,
*Cambrorum*que Salus ſe manibus Tuis
Jam credunt facilè; Propitio *Jove*
Sic mandante *Britanniam*
Felicem fore: Nunc (Oh!) Patriæ Lyræ
Et *Te*, Maxime Dux! Progeniem & Tuam,
Auguſtique Patris grande decus ſonent,
Addant Diiſque *Britannicis.*

Olim ſi lubeat viſere *Cambriam*,
Haud *Te* pœniteat, ſeu nemorum Comæ,
Atque Umbræ placeant, ſeu Juga montium,
Grata & fluminùm amœnitas:
Eſt nobis pecorum copia, ſunt agri
Fœcundi, atque graves velleribus greges,
Quæ poſthàc gemino, *Te* ſimul Auſpice,
Veſtimenta dabunt Polo.
Magni caſtra *Rheſi*, ac *Arvonias* domos
Edvardi videas uſque ſuperſtites,
Et ſaltus *Druidum*, & *Merviniæ* arduas
Arces, Montibus additas:
Expanſa hîc videas brachia quercuum
Ornorumque nigris condita nubibus,
Quæ mox vela ferent Claſſe *Britannicâ*, &
Toti Jura dabunt Mari.
Intùs ſaxa latent fœta Metallicâ
Belli materie; *Te* Duce, divites
Se venæ retegent hactenùs abditæ,
Et quaſcunque premunt opes;
Rupes *Cereticæ* viſcera plumbea,
Argentique ſinus heu! nimis invios
Expandent meliùs, quos benè ſeduli
Mackworthi haud tetigit Labor.
Si *Tu* adſis Operi, ſentiet Artifex
Fornaci domitas cedere Laminas,
Accenſiſque focis Æra liqueſcere, &
Ferri vincula ſolvier;
Olim Fata dabunt cernere verticem
Snowdonæ liquidum flumine aheneo;
Hinc Tormenta *Tibi*, milleque Machinas
Conſtabit *Britonum* Labor;
Nutribitque *Tibi Cambria* Subditos
Aptos Conſilio; *Pembrokiæ* Decus,
Exornat Cathedram quique *Dubritii*,
Manſelluſque Silurium
Semper Deliciæ, Juris & Arbiter
Pricæus, *Britonum* gloria maxima,
Arcana Imperii, quicquid & arduum
Ultrò ſolvere geſtient.

Pietas & Gratulatio Univ. Oxon.

Miles non aberit, *Te* Duce prælium
Unquam qui renuet, *Te* facilis ſequi
Mars quocunque vocat, fortis & impiger
Pro *Te*, & pro Patriâ mori:
Patrum priſca fides, Regibus *Anglicis*
Nota, & Relligio, Publicus ac Amor,
Et Virtus Patriæ nunc etiam viget,
Creſcetque auctior in dies.

Gul. Jones S. T. B.
Coll. Jeſ. Soc.

QUales ab imo pectore *Dardani*
Fudêre Fletus, cùm periit ſimul
Gens omnis, & Regem peremptum,
Nox eadem, Patriamque vidit:
Sic interemptâ *Te*, O *Patriæ Parens*,
Magnæ *Stuartûm* Relliquiæ & Decus,
Per Rura, per Villas, per Urbes,
Ter gemuit viduata Tellus.
Mors tanta frangit robur & æs triplex
Mentis *Britannæ*, nunc refugit metu
Perculſus Heros, fletibuſque
Fœmineis Sibi poſcit ANNAM:
Te Virgo charis orba Parentibus,
Experta Matrem, *Te* Vidua, unicum
Solatium, *Te*, Æger, levamen,
Et fragilis, Columen, Senecta.
Te ſemper urget flebilibus Modis
Camœna, Laudis fida Comes Tuæ,
Mittitque Virtutes per ævum
Omne pio *Rhedycina* Verſu.
Ergone Vultus ſimpliciter bonus,
Et fronte caſtâ Virgineus pudor,
Dulciſque Majeſtas, & omnis
Oris honos, cineri redactus?
O quando formet prodiga Munerum
Natura Talem! dicite, *Charites*,
Et *Gratiæ*, pulchræ Sorores,
Quando aliam decoretis ANNAM!

At O! Quid ANNÆ Sceptra *Britannica*
Geſtâſſe prodeſt intrepidâ Manu?
Quid priſca Virtus? innocentis
Atque Animæ ſine labe Candor?
Fruſtrà fatigat Gens lacrymabilis
Cœlum Querelis; nil valeant Preces,
Nil Vota, nec Laurus repellit
Sacra *Jovi*, ſua, Mortis ictum.
O quàm doloſo credidit Omine
Infauſta Tellus, Pacificos dies
Albo notatos, abſque curis
Jam fluere, & ſine nube Soles!
At *Tu* reponis Mentibus anxiis
Spem, *Magne* GEORGI, Fataque pendula
Firmas *Britannis*, diſſipaſque
Sole novo Tenebras Doloris.
Quodcunque de *Te* Fama loquuta ſit,
Quodcunque Gens ſperaverit, altiùs
Virtus Tua aſſurgit, magiſque
Nos capiet propiore viſu.
En! *Albion* ad ſydera verticem
Tollit ſuperbum, nec ſibi ſufficit
Regnare victrici inter undas,
Et liquido dare Jura Mundo:
Sub Rege Tali non putet arduum
Terras remotas Imperio addere;
*Romæ*que calcare inſolentis
Sub pedibus *triplicem Coronam.*

Digby Cotes A. M. Coll. Omn. Anim. Soc.
& Univ. Orator Publicus.

Ad Regem.

ILluſtris Heros, conſiliis potens,
Invicte bello, Annalibus obruens
Famam laborantem, at dolentes
Imperio recreans *Britannos*:
Pauliſper ægris, *Maxime Principum*,
Ignoſce Muſis, & patiens Tuos
Pendere permittas Triumphos:
Dum Pietas ſtudioſa Vatum

Cœleſtis

Cœleſtis ANNÆ Regia Funera
Urget querelis; dum gemit *Anglia*
Raptos amores, & Suorum
Delicias nimiùm fugaces.
Parcas roganti: *Tu* meliùs memor
Divæ recentis, *Tu* generoſior
Hortaris ultrò lacrymosâ
Exequias decorare Pompâ.
Ultrò revolvis, *Pacificæ* ſequax
ANNÆ, quid *Illi* debeat Arbitræ
Tranquillus Orbis, *Tu*que ficcus
Ingrediens tria regna Victor.
Debemus ANNÆ, quòd venientibus
Te, REX, Tuiſque, horroris honoribus
Mars adfit inſons, ſplendeantque
Enſibus haud madidis Cohortes:
Quòd *Tu* phaſelis dum *Thameſin* premis,
Optate, ſolo Fulmina Gaudio
Tormenta mittant, & Cruoris
Innocuos jaculentur Ignes.
Dudum *Illa* firmo fœdere proprios
Strinxit *Britannos*; ulteriùs Pia
Dein Regna conjunxit remota:
Sic chalybem rapiens ſequacem
Magnes, propinquas agglomerat priùs
Lamnas metalli; mox aliæ additæ
Hærent, & indiſcreta pendet
Perpetuæ ſeries Catenæ.
His, Fama, reple buccinam, & æream
Intende vocem; non regionibus
Audita ſolùm, quas jacentes
Sub gelido videt axe *Phœbus*.
Quà miſta nuper fervere prælia
Flebant coloni, nunc vaga ſanguine
Nec *Moſa* tardatur, nec ingens
Purpureas rotat *Iſter* undas;
Prærupta tantùm mœnia, & horridæ
Extant Ruinæ, ſaxaque dirutis
Hiulca muris, luctuoſi
Dira nimis Monumenta Belli:

Sed nota terris, Imperio additis
Potentis ANNÆ, quas modò Pax dedit
Recèns *Britannas*, divitique
Oceanus lavat *Indus* orbe.
Fruſtrà reluctans infremuit Furor;
Se tota in ANNAM feſſa loboribus
Devolvit *Europa*, & reclines
In Dominam filuêre Gentes.
Quin mox reclamat Turba protervior;
Et ſævientûm murmura Civium
Pacem recuſant. Heu furorem!
Heu populum malè pervicacem,
Sibique iniquum, atque indocilem pati
Divos faventes! Sed querimoniis
Quò, Muſa, pergis? Parce lævo
Gaudia contemerare Luctu:
Dum Pace rident Omnia, dum novis
Britanna Tellus floret honoribus;
Tuiſque læves, Magne GEORGI,
Imperiis aditus pateſcunt:
Eheu! Ovantes quis ſubitus tremor
Invadit? ANNA angoribus ultimis
Singultat, & Sacræ relinquit
Exuvias Animæ cadaver.
Heu nuda Virtus! Heu Pietas! Fides
Antiqua! Simplex, caſtaque Veritas!
Te, mitis ANNÆ nuda Virtus,
Occiduam querimur relicti.
Fati laborat mole *Britannia*,
Inſana luctu; & deficit, impotens
Doloris. O! adſit gementes
GEORGIUS exhilerans Camœnas.
Audit vocantes Parca benignior;
Et lætiores volvier ordines
Promittit annorum; beatas
Dum Superûm tenet ANNA ſedes:
Dum Sceptra torquet Regia jam Domus
Felix Nepotum; dum reſonat tubâ
Divam STUARTORUM Supremam
Per memores pia Fama faſtos.

J. Trapp A. M. Coll. Wadh. Soc.

Poëtices Prælector Publicus.

DUM *Tibi* ſublimes felici pectore verſus
Aonio pubes fundit amata choro;
Accipe prima rudis Muſæ conamina, GEORGI,
Quam gremio fovit vix *Rhedycina* ſuo.
Accipe pacato, quali *Te* vidimus, ore,
Contigimus Sacram quâ modò luce Manum.
Fas, humiles ANNÆ Tumulo ſuperaddere Verſus,
Et fletu Manes accumulare pio.
Illam, dum gemini *Britones* Gens Una manebunt,
Eximet è memori tempore nulla dies.
Illa Suis quantos gemitus planctuſque ciebat,
Immitis ſubito turbine rapta necis!
Quis tandem afflictas gentes ſolabitur, uno
Dicebant omnes ore? Quis Alter erit?
Te, GEORGI, rebus *Britonum* Solamen egenis
Duxerunt faciles in Tua Regna Dei.
Continuò nova Lux animis affulſit, & omnes
Triſtitiam volucri ferre dedêre Noto.
Auratis Procerum fulgens in curribus Agmen
Vidimus, & pompæ Pars *Ego* parva fui.
Hîc exultantem plebem, trabeiſque decoros
Cernere erat cives, tectaque onuſta viris;
Dum *Te*, dulce Decus *Britonum*, ſub Regia Tecta
Lætantûm longus duceret Ordo Patrum.
Hinc jam digreſſus Numeros deducere conor,
Officioque *Tibi* poſſe placere novo.
At fruſtrà *Te* digna ſequi dum quæro, recuſat
Ire per aëreas debilis Ala vias.
Ergò *Caſtalii* Cœtûs poſtrema coërcens,
Carmina Tyro recens qualiacunque fero.
Sed Mihi cùm veniat tandem maturior ætas,
Vimque novam dederit *Wolſeïana* domus;
Tunc Ego, Magnorum recolens Exempla Parentum,
Fortè canenda geram, vel *Tua* Geſta canam.

Illuſtriſſimus Princeps *Carolus* Dux de *Queensberry* & *Dover* &c.

ex Æde Chriſti.

FINIS.